Ex libris Clouang R[illegible]

nder fecit

B.R

PRÆCEPTIONES RHETORICÆ,

VARIIS EXEMPLIS ILLUSTRATÆ,

UNA CUM INDICE LOCUPLETISSIMO, ACCURATE EMENDATÆ.

BIBLIOTHEQUE ROYALE

LUTETIÆ PARISIORUM,

Apud C. L. THIBOUST, Universitatis Parisiensis Typographum ac Bibliopôlam Ordinarium, è regione Collegii Regii.

M. DCC. XVII.

INDEX
Rerum quæ in Præceptionibus Rhetoricis continentur.

CAPUT I. De Nomine, Definitione, Causis, & Partibus Rhetoricæ, *pag.* 1
CAPUT II. De Periodo, 4

PRIMA PARS RHETORICÆ.

DE INVENTIONE, 8

CAPUT I. De Argumentis Rhetoricis, *ibid.*
SECTIO I. De Locis communibus intrinsecis. 9
ARTICULUS I. Locus à Definitione, 10
II. Locus à Notatione Nominis, 12
III. Locus ab Enumeratione partium, 13
IV. Locus à Conjugatis, 14
V. Locus à Genere, *ibid.*
VI. Locus à Specie, 15
VII. Locus à Causis, 16
VIII. Locus ab Effectis, 18
IX. Locus à Similitudine, 19
X. Locus à Dissimilitudine, 20
XI. Locus à Contrariis, 21
XII. Locus à Repugnantiâ, 22
XIII. Locus ab Antecedentibus, 25
XIV. Locus ab Adjunctis, *ibid.*
XV. Locus à Consequentibus, 26
XVI. Locus à Comparatione, 27
SECTIO II. De Locis communibus extrinsec. 29
ARTICULUS I. De Præjudiciis, 30
II. De Testibus, 31
III. De Exemplis, 32
SECTIO III. De Locis specialibus, sive singulorum generum propriis, 34
ART. I. Loci peculiares Generis Demonstrativi, 35
De laude personarum ac vituperatione, *ib.*
De laude rerum aut vituperatione, 36
De laude aut vituperatione factorum, 38

ART. II. Loci peculiares Generis Deliberativi, 39
ART. III. Generis Judicialis Loci peculiares, 40
De triplici Causarum Genere speciatim, 43
CAPUT I. De speciebus Orationum in Genere demonstrativo, *ibid.*
Sectio I. De Panegyrico, 44
II. De Oratione Genethliacâ, *ibid.*
III. De Oratione Nuptiali, 45
IV. De Oratione Funebri, 47
V. De Gratiarum actione, 49
VI. De Gratulatione, 50
VII. De Oratione Lamentatoriâ, *ibid.*
VIII. De reliquis Orationibus in Genere Demonstrativo, 51
CAPUT II. Species Orationum in Genere Deliberativo, 54
Sectio I. De Hortatione, & Dehortatione, *ib.*
II. De Commonitione, 56
III. De Commendatione, *ibid.*
IV. De Concitatione & Conciliatione, 57
V. De Petitione, 58
VI. De Consolatione, 59
CAPUT III. De Speciebus Orationum in Genere Judiciali, 61
Sectio I. De Invectivâ & Objurgatione, *ibid.*
II. De Expostulatione, 62
III. De Exprobratione, Purgatione, & Deprecatione, 63
CAPUT IV. De Motu excitando, 64
Sectio I. Quid sit Affectus, & quotuplex, 65
Sectio II. Quid spectandum in Oratore qui movere debet, 68
III. Quid spectandum in Personis quæ affectu movendæ sunt, 72
IV. Quid considerandum in rebus ad movendos animos idoneis, 75
V. Quo modo, quibus locis, quibus figuris, quo genere Orationis moventur Affectus, 77

Sectio VI. Ubì & quandò utendum affectibus, 88
VII. De Affectibus sigillatim, 92
SECUNDA PARS RHETORICÆ.
de Dispositione, 94
CAPUT I. De Exordio, 95
Sectio I. De Benevolentiâ comparandâ, 96
Quomodo Benevolentia comparetur à personâ nostrâ, *ibid.*
Quomodo Benevolentiam ab Adversariorum personâ comparemus, 99
Quomodo Benevolentia comparetur ab Auditorum personâ, 101
Quomodo Benevolentia comparetur à rebus ipsis, *ibid.*
Sectio II. De Attentione conciliandâ, 102
III. Quomodo paretur docilitas, 103
IV. Utrùm ubique sit utendum his-ce Muneribus Exordii, 104
V. De Vitiis Exordiorum, 106
CAPUT II. De Narratione, 107
Sectio I. Quid sit Narratio, & quotuplex, *ibid.*
II. De virtutibus Narrationis, 108
III. Quando utendum Narratione, 109
CAPUT III. De Confirmatione, 110
Sectio I. De Argumentis, & eorum dispositione, 111
II. De Argumentatione, quid sit & quotuplex, 112
III. De Amplificatione, quid sit, & quot modis fiat, 114
IV. Quomodo amplificetur rebus, 116
V. Quibus Figuris amplificetur, 120
CAPUT IV. De Confutatione, quid sit Confutatio, & quomodo fiat, 122
CAPUT V. De Peroratione, seu Epilogo, quid sit & quibus modis fiat, 124
TERTIA PARS RHETORICÆ.
de Elocutione, 126
CAPUT I. De Elegantia, *ibid.*
CAPUT II. De Compositione, 127

CAPUT III. De Dignitate, 129
SECTIO I. De Tropis, ibid.
ARTIC. I. De Metaphora, 130
De Speciebus Metaphoræ, ibid.
II. De Metonymiâ, 134
III. De Synecdoche, 137
IV. De Ironia, 140
SECTIO II. De Schematibus, seu Figuris, ibid.
ARTIC. I. De Schematibus Verbi, 141
De his quæ figurant vocis ejusdem positione, 143
De his quæ figurant positione similis vocabuli, 148
ARTIC. II. De figuris Sententiarum, 151
De his quæ figurant augendo, ibid.
De his quæ figurant minuendo, 153
De his quæ figurant neque augendo, neque minuendo, sed ratione personarum, 156
De iis quæ figurant ratione rei, 160
De his quæ figurant ratione rei, & per appositionem, 164
De his quæ figurant ratione personæ aut rei, 168
RATIO ELOCUTIONIS COMPENDIARIA, seu DE TROPIS & FIGURIS, 173
De Metaphora, ibid.
Species Metaphoræ, ibid.
Species Allegoriæ, 174
De Metonymia, 175
De Synecdoche, ibid.
De Figuris Verbi, 176
De Figuris Sententiæ, 178
QUARTA PARS RHETORICÆ.
DE MEMORIA, 182
CAPUT. De usu Memoriæ, ibid.
QUINTA PARS RHETORICÆ.
DE PRONUNCIATIONE, 185
CAPUT. De Partibus Pronunciationis, 186
SECTIO I. De Voce, 187
II. De Actione, 190

Finis Indicis.

PROLUSIONES RHETORICÆ.

CAPUT I.

De Nomine, Definitione, Causis, & Partibus Rhetoricæ.

RHETORICA nomen habet à ῥέω, *dico*, & definitur, *Ars benè dicendi.*

Ars est facultas effectrix operis alicujus ex præceptis.

Benè dicere, est lectissimis verbis, & sententiis optimis dicere.

Munus Oratoris est appositè dicere ad persuadendum.

Finis Oratoris idem eſt, qui Rhetorices, perſuadere dictione.

Perſuadere eſt injicere firmam opinionem de aliqua re.

Materia Rhetoricæ ſunt res omnes quatenùs perſuaderi dicendo poſſùnt, vel, quod idem eſt, quatenùs in quæſtionem cadere poſſunt.

Quæſtio eſt oratio quâ unum ex his quæritur: An ſit, quid ſit, quale ſit, cur ita ſit.

Quæſtio duplex, infinita, ſeu theſis; & finita, ſeu hypotheſis, aut cauſa.

Infinita quæſtio eſt quâ generatim & indeterminatè quæritur: verbi gratiâ, An Rhetorica ſit addiſcenda; An ſit damnandus qui hominem occiderit.

Finita quæſtio eſt quâ ſpeciatim, ac determinatè, hoc eſt, ſuis rem circumſtantiis perſonarum, locorum, temporum, & cæteris, definiendo, ac circumſcribendo quæritur, v. g. An Rhetorica huic homini, hoc tempore, hoc Præceptore, ſit addiſcenda: An ſit damnandus Milo, qui in viâ Clodium occiderit.

Finitarum quæſtionum ſeu cauſarum, ſeu hypotheſeôn triplex genus aſſignatur: nempe,

Demonſtrativum, quod eſt præſentis temporis, & diſtribuitur in laudem ac vituperationem.

Deliberativum, quod eſt futuri temporis, & habet ſuaſionem ac diſſuaſionem.

Juridiciale, aut Judiciale, quod eſt præteriti

temporis, & dividitur in accusationem ac defensionem.

Porrò, de his quæstionibus ut benè & ornatè quis disserat, primùm quæ dicat inveniet, inventa disponet, disposita eloquetur; quæ fuerit elocutus, postquam tradiderit memoriæ, pronuntiabit. Unde totius Rhetoricæ partes quinque sunt,

INVENTIO,
DISPOSITIO,
ELOCUTIO,
MEMORIA,
PRONUNCIATIO.

His autem quinque Rhetorices muneribus exequendis, habet Orator adjumenta varia, & quidem

Naturæ, quæ præparat & inchoat, animi corporisque bona sufficiendo.

Artis, quæ expolit, & perficit præcepta suggerendo.

Exercitationis, quæ roborat & confirmat habitum comparando.

Et quoniam in hoc exerceri primùm debent Rhetoricæ studiosi, ut discant dilatare orationem, & suis numeris concludere atque exornare; operæ pretium, pauca præmittere de Periodo, antequàm plenos Inventionis fontes aperiamus.

CAPUT II.

De Periodo.

PERIODUS est circuitus verborum & ſententiarum ſenſum perfectum efficiens, qualis hæc est Ciceronis in exordio pro Cæcinnâ .... *Si quantum in agro lociſque deſertis audacia poteſt, tantùm in foro, atque in judiciis impudentia valeret; Non minùs nunc in causâ cederet Aulus Cæcinna Sexti Æbutii impudentiæ, quàm tùm in vi faciendâ ceſſit audaciæ* .... & hæc altera, quâ orditur orationem de Provinciis Conſularibus .... *Si quis veſtrûm, Patres Conſcripti, expectat quas ſim Provincias decreturus; conſideret ipſe ſecum qui mihi homines potiſſimùm detrahendi ſint: non dubitabit quid me facere conveniat, cùm quid mihi ſentire neceſſe ſit cogitârit* .... Hæc poſtremò, quam facilitatis causâ proponimus .... *Si quantum virtute bellicâ cæteris Imperatoribus præcelluit Alexander, tantùm & eoſdem temperantiæ laude ſuperaviſſet; non minùs venerationis apud poſteros habuiſſet, quàm apud ſuos habuiſſe dicitur amoris, imperii, dignitatis.*

At circuitus ille duplici genere partium

conſtat, membris nimirùm, ſeu colis; & commatibus ſeu inciſis, quæ & interciſiones & articuli nominantur.

Membrum eſt oratio perfecti ſensûs, at ſuſpenſi tamen, ſic ut nondum tota ſententia percipiatur, ut .... *Si quantùm virtute bellicâ cæteris Imperatoribus præcelluit Alexander, tantùm & eoſdem temperantiæ laude ſuperaſſet ....* Ecce perfectam orationem, at ideò ſuſpenſam, quòd aliquid expectetur præterea.

Comma dicitur, cùm ſingula membra, aut ſingulæ Phraſes interpunctionibus diſtinguuntur, cæsâ veluti oratione in minutas partes, exempli causâ .... *quàm apud ſuos habuiſſe dicitur amoris, imperii, dignitatis.*

Periodus vel eſt ſimplex, hoc eſt unius membri; vel compoſita, hoc eſt duorum, trium, aut quatuor membrorum: raro enim aut potiùs nunquam ad quinque membra aut plura, produci debet. Eſto exemplum periodi uno membro conſtantis ...... *Alexander temperanter vivendo venerationem apud poſteros habuiſſet.*

Per conjunctionem *ſi*, bimembrem efficies hoc pacto ... *Si temperanter vixiſſet Alexander, apud poſteros venerationem habuiſſet.*

Per adverbia, *tantùm*, *quantùm* ſibi mutuò reſpondentia, trimembrem efficies hoc modo .... *Si quantùm virtute bellicâ cæteris*

Imperatoribus præcelluit Alexander, tantùm & eosdem temperantiæ laude superavisset, venerationem apud posteros habuisset.

Adde hæc adverbia, ***non minùs***, *quàm*, habebis quadrimembrem, ut in primo exemplo.... *Si quantùm*, &c.

Unde is facillimè periodum ad plura membra producit, vel in pauciora pro arbitrio contrahet, qui habebit ad manum hæc vocabula sibi invicem respondentia, *etsi*, *tamen*: *non minùs*, *quàm*: *non modò*, *sed etiam*: *cum*, *tum*; *ut*, *ita*: *&*, *&*: *vel*, *vel*; *adeò*, *ut*: *tam*, *quàm*: *tantùm*, *quantùm*: *tot*, *quot*; &c. id genus.

Neque tamen Periodus non erit, si minùs hujusmodi particulis vinciatur; dum aliunde sua in membris cohærentia, & suspensio extiterit, ut in exemplo superiori.... *Si quis vestrûm*, *Judices*, &c.

Modus amplificandæ Periodi repetitur ex locis, atque adjunctorum potissimùm, de quibus in præceptis Inventionis.

Quòd si oratio ultrà quatuor membra protrahatur, non Periodus dicitur, sed oratio Periodica. Tale est illud initium exordii pro Milone.... *Etsi vereor*, *Judices*, *ne turpe sit*, *pro fortissimo viro dicere incipientem*, *timere*, *minimèque deceat*, *cùm Titus Annius Milo ipse magis de Reipublicæ salute*, *quàm de sua perturbetur*, *me ad ejus causam parem ani-*

mi magnitudinem afferre non poſſe : tamen hæc novi judicii nova forma terret oculos ; qui , quocumque inciderint , veterem conſuetudinem fori , & priſtinum morem Judiciorum minimè vident.

Quæcumque oratio periodicè non progreditur ; ea inciſim , ſeu per inciſa dicitur procedere , hoc eſt , vel per diſtincta verba , ut Cic. in Piſonem .... *ô ſcelus ! ô peſtis ! ô labes !* & ſuperiori exemplo , *Amoris , imperii , dignitatis , ...* vel per ſenſus diſtinctos , ut eâdem Oratione Cicero .... *Cùm extinguebas Senatum , vendebas auctoritatem hujus Ordinis , addicebas Tribuno Plebis Conſulatum tuum , Rempublicam evertebas , prodebas caput ac ſalutem meam , unâ mercede Provinciæ.*

Ratio numeroſè claudendi Periodum aſſiduâ lectione Ciceronis comparabitur , & obſervatione numerorum.

Adverte demùm uſurpandæ Periodo locum eſſe , ubi aliquid ornatè , graviterque dicendum , ut in laudationibus , maximè verò in exordiis : in reliquis vel dicendi generibus , vel partibus orationis , periodum aut parcè adhibebis , aut brevem.

PRIMA PARS RHETORICÆ.

DE INVENTIONE.

INVENTIO est rerum verarum aut verisimilium, & ad persuadendum accommodatarum excogitatio. Et quoniam persuasio conficitur fide & motu; primum Oratoris munus est invenire quemadmodum fidem faciat, & motum excitet. Ad fidem faciendam valent Argumenta & Argumentatio; ad motum excitandum Amplificatio & Affectus. De his singulis nobis est in hâc primâ parte disputandum.

CAPUT I.

De Argumentis Rhetoricis.

ARGUMENTUM Rhetoricum est probabile inventum ad faciendam fidem, seu ratio, quâ probamus id quod propositum est.

Argumenta petuntur ex Locis.

Locus eſt ſedes Argumenti.

Porrò Locus & Argumentum promiſcuè ſumuntur ; & utrumque aliud nihil eſt, quàm è Loco Rhetorico ſumpta ratio probandæ rei. Verbi gratiâ, Locus, ſeu Argumentum ab effectis eſt, cùm è loco ab effectis ratio ducitur probandi aliquid de aliquâ re per ipſius effecta : ut, ſi velim probare voluptatem eſſe fugiendam, reddam rationem ab effectis voluptatis, ſic, quia corpus & animum corrumpit.

Loci vel ſunt communes, vel ſpeciales.

Communes Loci continent Argumenta tribus cauſarum generibus communia.

Speciales continent Argumenta ſingulis cauſarum generibus propria.

Rursùm Loci communes alii dicuntur intrinſeci, quòd petantur à qualitatibus intrinſecis, hoc eſt, inſitis in ipsâ re, cum eâque conjunctis ; alii extrinſeci, quòd ab iis ducantur, quæ extrà rem ſunt, cum eâque non cohærent.

SECTIO I.

De Locis communibus intrinſecis.

LOCI communes intrinſeci ſexdecim numerantur ; nempè :

Definitio.

Notatio Nominis.

Enumeratio partium.
Conjugata.
Genus.
Species.
Causæ.
Effecta.
Similitudo.
Dissimilitudo.
Contraria.
Repugnantia.
Antecedentia.
Adjuncta.
Consequentia.
Comparatio.

ARTICULUS I.

Locus à definitione.

DEFINITIO est oratio explicans rei naturam ; ut, homo est animal rationis compos. Unde sic argumentari licet ; non decet hominem cœco impetu , ut bruta , ferri ; quia est animal rationis compos.

Sed ejusmodi definitio constans genere & differentiâ rei quæ definitur , Philosophi est propria magis , quàm Oratoris , qui cum debeat , non tantùm animum convincere auditoris , sed multò magis in ejus sensum , af-

fectumque penetrare, res multò uberiùs, & ornatiùs tractat, easque definit præterea.

Per causas, ut, si hominem definias animal ex mortali corpore conflatum, summi artificis opus excellens, immortali animâ præditum, & ad Beatitudinem natum.

Per effecta; ut si hominem appelles inventorem artium, cultorem disciplinarum, institutorem legum.

Per adjuncta; ut si hominem voces animal providum, sagax, cæterorum animantium regem: unde concludas plurimum in eo inesse dignitatis.

Porrò istæ definiendi rationes libertate oratoriâ circumductæ descriptiones potiùs appellandæ sunt, quàm definitiones. Cujusmodi est prima illa hominis definitio, quam attulimus, animal rationis compós.

Mirè copiosus est Tullius in tractanda definitione. Solet enim definire per affirmationem, per negationem, per utramque simul.

Per affimationem; sic pro Milone N. 90. Curiam definit .... *Templum Sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput Urbis, aram sociorum, portum omnium gentium*, &c.

Per negationem; sic pro Sextio N. 97. Optimates definit .... *Optimates sunt qui neque nocentes sunt, neque naturâ improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti.*

Per utramque ſimul, ſic Verrinâ tertiâ N. 8. Verrem definit.... *non furem, ſed ereptorem; non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ; non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, Religionumque; non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem civium & ſociorum in veſtrum Judicium adduximus.*

Occurrunt paſſim in eodem Tullio præclaræ definitiones; ut populi Romani oratione pro domo ſuâ N. 89. & 90.

Exilii, eâdem N. 10.

Civitatis, Paradoxo 4.

Hominis popularis, Agrariâ ſecundâ N. 9. & 10.

Conſulis, in Piſonem N. 23.

Supplicii, ibidem à N. 43. ad 47.

ARTICULUS II.

Locus à notatione Nominis.

NOTATIO nominis eſt oratio vim aut originem Verbi explicans, ut homo ab humo dicitur, Senatus à ſenibus. Ex hoc loco ducitur Argumentum, cùm aliquid ex nominis interpretatione colligitur, ut, Piſo non eſt Conſul, quia Patriæ non conſulit. Utitur hoc loco Cic. Philippicâ ſecundâ ut oſtendat Brutum jure à ſe ornari, hoc eſt, laudari.... *animadverti dici à quibuſdam*

nimiùm à me ornari Brutum. Nempe eos qui ſunt ornamenta Patriæ ornari decet .... Idem pro Roſcio Amerino. N. 124. & quartâ verrinâ N. 18.

Hic locus plerumque frigidus eſt & puerilis, niſi acutè pertractetur.

ARTICULUS III.

Locus ab Enumeratione partium.

ENUMERATIO partium eſt, cùm totum in ſuas partes diſtribuitur, per eaſque deſignatur. Ut ſi animam & corpus deſignares, totum hominem ſignificares; ſi Nobilitatem, Senatum, Equeſtrem Ordinem, & cœtera dixeris, totam Civitatem dixeris. Unde; totus ille corruptus eſt, quia corpore & animo corruptus eſt: mortem Ciceronis dolet univerſa civitas, quia Senatus dolet, Nobilitas dolet, &c.

Cicero oratione in Piſonem 64. probat illum omnibus eſſe odioſum .... *age, Senatus odit te, quòd eum tu*, &c. .... & eadem oratione N. 96. oſtendit Conſulatum Piſonis probatum eſſe nemini, quia vexarit omnes quibuſcum rem habuit. Idem poſtremâ in Verrem probat non habere Siculos quò confugiant, niſi ad Senatum .... *quo confugient ſocii? quem implorabunt?* &c. N. 125.

ARTICULUS IV.

Locus à Conjugatis.

CONJUGATA ſunt ea quæ ab eodem vocabulo originem ducunt : ut homo, humanus, humanitas. Unde is non eſt in hominum numero recenſendus, qui humanitatem non colit. Hac figurâ utitur Cic. pro Marcello. N. 12. probat Cæſarem invictum eſſe quòd victoriæ vim devicerit. Et Philippicâ ſecundâ negat à ſe Antonium ut Conſulem tractandum .... *non tractabo illum ut Conſulem ; ne ille quidem me ut conſularem.*

ARTICULUS V.

Locus à genere.

GENUS eſt cui multæ ſubſunt ſpecies, ut virtus cui ſubſunt Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, &c. Unde Juſtitia homini colenda eſt, quia virtus colenda eſt.

Cicero pro Archia Poëta probat à genere Archiæ gratiam indulgeri à ſuis judicibus oportere, quia nomen Poëtarum omnibus rebus etiam inanimis venerationi ſemper fuit .... *Sit igitur, Judices, ſanctum apud vos humaniſſimos homines Poëtæ nomen, quod*

nulla unquam Barbaries violavit. Saxa, & solitudines voci respondent, bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur, & consistunt : nos instituti rebus optimis non Poëtarum voce moveamur? .... Idem in Oratione pro Cœlio probat ignoscendum ipsi ut juveni, quia solent juventuti condonari multa : à N. 28 ad 30 & 38.

ARTICULUS VI.

Locus à specie.

SPECIES est pars generi subjecta qualis est prudentia, quæ sub virtute continetur. Unde virtus colenda est, quia prudentia colenda.

Cicero actione in Verrem quintâ, probat eum res omnis generis apud Siciliam omnem deprædatum esse .... *Nego in Sicilia, tam locuplete, tam vetere provinciâ, tot oppidis, tot familiis tam copiosis, ullum argenteum vas, ullum Corynthium, aut Deliacum fuisse : nego ullam gemmam, &c.* ad N. 3..... Idem Catilinariâ secundâ omnem rationem Catilinariæ conjurationis detectam per species ostendit. N. 13, & eâdem Oratione à N. 7. ad 10, in eodem versatur argumento.

ARTICULUS VII.

Locus à Causis.

CAUSA est id quod producit effectum, & est quadruplex.

Materialis, quæ est id ex quo aliquid conficitur, ut ex luto, homo. Unde non est quòd homo tantopere superbiat, quia constat ex luto. Cicero actione sextâ in Verrem accusat eum quòd furatus sit candelabrum pretiosissimum, & hujus furti gravitatem ità ostendit à causâ materiali .... *Candelabrum è gemmis*, &c. N. 64. ... Vide apud Ovidium Lib. 2° Metamorph. quæ habet de regiâ & curru Solis, more suo copiosa & venusta.

Formalis, quæ est id quo unum ab alio distinguitur, ut homo per immortalem animum à cæteris animantibus differt: undè homo non debet res caducas & perituras quærere, quia constat ex animo immortali. Cic. Lib. primo de Officiis, N. 105. Concludit voluptates homini fugiendas ex dignitate & præstantiâ humani ingenii .... *Si considerare volumus, quæ sit in hominis naturâ excellentia & dignitas, intelligemus quàm sit turpe diffluere molitie & delicatè vivere, quámque honestum sit parcè, continenter, severè, sobriè*

briè .... Idem pro Sextio contendit mortem sibi non fuisse timendam, ex animæ naturâ & constitutione..... *An mihi ipsi, ut quidam putant, fuit mors æquo animo oppetenda? Quid, &c.* Num. 47.

In rebus inanimis arte factis & constantibus materiâ, forma est quam vulgò figuram appellant. Undè Cicero Verrem arguit sacrilegii, quòd simulacrum Dianæ abstulerit, atque illud è figurâ describit, Verrinâ sextâ, N. 74.

Efficiens, quæ est id à quo fit aliquid, ut homo à Deo factus. Undè non est quòd homo se negligat, atque abjiciat, quia Dei præpotentis opus est.

Cicero Libro de Senectute probat voluptatem esse fugiendam, quia causa est efficiens malorum plurimorum .... *Hinc* (ex voluptate intelligit) *patriæ proditiones, hinc rerum publicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina consilia nasci dicebat; nullum denique scelus, nullum malum esse facinus, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret* ... Eodem libro Senectutem ostendit immunem esse ab incommodis permultis, quia causas eorum efficientes non habeat .... *Caret epulis, caret extructis mensis, & frequentibus poculis; caret ergò vinolentiâ, cruditate, & insomniis* .... Idem actione tertiâ in Verrem probat eum in furorem agi ex causis, quibus

humanus animus in amentiam præcipitari ſoleat .... *Multa & in Deos & in homines*, num. 6.

Finalis, quæ eſt id cujus gratiâ fit aliquid, ut homo ad cæleſtem Beatitudinem natus. Undè, non licet hominem terrenis immorari, quia natus eſt ad Cælum. Cic. pro Roſcio Amerino, negat debuiſſe Amerinum in judicium vocari ab adverſario, quia cauſam vocandi non habuerit .... *Quid vis ampliùs? Quid inſequeris? Quid oppugnas? &c.* num. 145. Idem pro Milone, num. 32. probat Clodium inſidiatorem fuiſſe ex fine, quem ſibi propoſuit inſidiando .... & actione ſecundâ in Rullum, probat non dividendum eſſe agrum, quia ex eo Triumviri tyrannidem affectent, num. 73.

ARTICULUS VIII.

Locus ab effectis.

EFFECTA ſunt ea quæ oriuntur ex cauſis, ut mollities ex deliciis: undè ſic argumentari poſſumus, abſtinendum eſt à deliciis, quia molles homines efficiunt.

Cicero pro Archia Poëta, num. 16 laudat Litteras ab effectis .... *Quòd ſi non hîc tantus fructus oſtenderetur, & ſi ex iis ſtudiis delectatio ſola pararetur; tamen, ut opinor,*

hanc animi remissionem humanissimam ac liberalissimam judicaretis ; nam cæteræ neque temporum sunt, neque ætatum omnium, neque locorum : hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, domi delectant, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.... Idem pro lege Maniliâ, num. 28. Egregiè probat ab effectis Pompeium rei militaris esse peritissimum. Apud eumdem legitur præclara laus Eloquentiæ ab effectis, libro primo de Oratore.

ARTICULUS IX.

Locus à similitudine.

SIMILITUDO est rerum inter se disjunctarum in aliquâ re convenientia, ut hominis irati cum leone furente ; undè homo debet iram fugere, quia per eam furenti leoni similis efficitur.

Occurunt passim apud Tullium præclara exempla similitudinis. Oratione pro Sextio, num. 24. *Ità est, judices, ut si gladium parvo puero, aut si imbecillo seni ac debili dederis, ipse impetu suo nemini noceat ; sin ad nudum vel fortissimi viri corpus accesserit, possit acie ipsâ & ferri viribus vulnerare. Ità cùm hominibus enervatis atque exanguibus Consula-*

tus, tanquàm gladius, eſſet datus; qui per ſe pungere neminem unquam potuiſſent, hi ſummi Imperii nomine armati, Rempublicam contrucidaverunt. Et pro Murænâ N. 4. Pro Cluentio N. 67. Pro Roſcio Amerino N. 31. Pro Lege Maniliâ N. 22.

ARTICULUS X.

Locus à diſſimilitudine.

DISSIMILITUDO eſt rerum aliquatenùs ſimilium in aliquâ re diſcrepantia, qualis eſt inter Deum immortalem & hominem mortalem; undè non eſt quòd homo ſe immortali Deo comparet, quia mortalis eſt.

Plenæ ſunt hoc loco Cicer. Orationes; ſic Agrariâ ſecundâ à N. 80 ad 91, ſummam invidiam excitat in Rullum à diſſimili majorum exemplo, in quo vehementer & pertinaciter commoratur.... Maxima pars Orationis pro Murænâ continet miras amplificationes per diſſimilia. Ibi enim ſtudia Murænæ commendat, & ea cum ſtudiis Sulpitii comparat per diſſimilitudinem, Num. 19, 21, 22.

ARTICULUS XI.

Locus à contrariis.

CONTRARIA sunt ea quæ simul convenire non possunt : qualia sunt virtus, & vitium : undè, in hoc homine vitium non est, quia virtus est.

Cicero Catilinariâ secundâ N. 24, probat à contrariis opprimi posse Catilinam & vinci... *Instruite nunc, Quirites, contrà has tam præclaras Catilinæ copias, vestra præsidia, vestrosque exercitus, & primùm Gladiatori illi confecto & saucio Consules Imperatoresque vestros opponite; deindè contrà illam naufragorum ejectam manum & debilitatam, florem totius Italiæ ac robur educite. Jam verò urbes coloniarum ac municipiorum respondebunt Catilinæ tumulis silvestribus. Neque verò cæteras copias, ornamenta, præsidia vestra cum illius latronis inopiâ atque egestate audeo conferre....* Idem Verrinâ quartâ Numero ultimo, Verrem ab Hortensio defendi non posse à contrariis ostendit, per affirmationem & negationem seu subjectionem .... *Nunc verò quid faciat Hortensius?*

ARTICULUS XII.

Locus à repugnantiâ.

REPUGNANTIA sunt ea, quæ invicem pugnant. Sic repugnat aliquem ab aliquo amari, & ab eodem accusari. Undè, is non te accusabit, quia te diligit.

Tullius in Oratione pro Cœlio probat Cœlium non fuisse deditum voluptatibus, quia Eloquentiæ studio sit deditus; repugnat enim eundem & voluptatibus & studiis esse occupatum. Locus est sanè egregius, N. 45 ..... *Atque scitote, Judices, eas cupiditates quæ Cœlio objiciuntur, atque hæc studia* Eloquentiæ, *de quibus disputo, non facilè in eodem homine esse posse. Fieri enim non potest, ut animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, sæpè nimiâ copiâ, inopiâ nonnumquam impeditus, hoc quidquid est quod nos facimus in dicendo, non modò agendo, verùm etiam cogitando, possit sustinere. &c.* ..... Et eâdem Oratione N. 5, probat falsum esse id quod aiebant adversarii Cœlium suis Municipibus probatum non fuisse, & Philippicâ secundâ N. 30 & 31, ostendit Antonium pugnantia dicere.

ARTICULUS XIII.

Locus ab Antecedentibus.

ANTECEDENTIA ſunt ea quæ rem neceſſariò, vel quaſi neceſſariò antecedunt: ut vitam hominis, nativitas; diem ortum, ſol antecedit: undè vixit ille, quia natus eſt; dies eſt, quia ſol ortus eſt. Cicero oratione pro Murænâ N. 13. Murænam non eſſe ſaltatorem probat ex iis quæ ſaltationem neceſſariò, vel quaſi neceſſariò antecedunt... *ſaltatorem appellat Luc. Murænam Cato; maledictum eſt, ſi verè objicitur, vehementis accuſatoris; ſi falsò, maledici conviciatoris. Nemo enim ferè ſaltat ſobrius, niſi fortè inſanit, neque in ſolitudine, neque in convivio moderato atque honeſto. Intempeſtivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes eſt extrema ſaltatio*, &c.... Idem Cic. argumentatur ab antecedentibus oratione pro Milone N. 51. & 52. Philippicâ octavâ N. 4. pro Roſcio Amerino. N. 39.

ARTICULUS XIV.

Locus ab Adjunctis.

ADJUNCTA ſunt ea quæ rem circunſtant, cum eâque conjuncta hærent, & hæc omnia hoc verſiculo continentur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Hoc est persona, res, locus, auxilia, seu facultas, causa; ratio, seu modus conficiendi, tempus. Unde is illum non occîdit, quia natura humanissimus, & mitissimus; quia neque opportunum locum; neque facultatem, neque causam, neque rationem, neque tempus habuit occidendi.

A persona negat Cicero Roscium parricidam esse .... *patrem occîdit Sextius Roscius! qui homo? adolescentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta, vetus, scilicet Sicarius, homo audax, & sæpe in cæde versatus? At hoc ab accusatoribus ne dici quidem audistis. Luxuries igitur nimirum hominem, & æris alieni magnitudo, aut indomitæ animi cupiditates, ad hoc scelus impulerunt? de luxuriâ purgavit Erutius, cum dixit ne in convivio quidem ullo ferè interfuisse. Nihil autem unquam debuit. Cupiditates porrò quæ possunt esse in eo, qui ut ipse accusator objecit, ruri semper habitarit, & in agro colendo vixerit? quæ vita maxime disjuncta à cupiditate, & cum officio conjuncta* .... Idem in oratione pro Dejotaro negat saltasse Dejotarum ab adjunctis personæ N. 26.

A loco; pro Milone probat Clodium insidiatorem fuisse .... *videamus nunc id quod capu*

eſt, locus ad inſidias ille ipſe ubi ſunt congreſſi, utri tandem fuerit aptior. N. 53°. Philippicâ ſecundâ N. 53. Antonii turpitudinem exaggerat à dignitate loci, quem vomitu conſpurcaverat: *O rem non modò viſu fœdam, ſed etiam auditu! Si inter cœnam, in tuis illis immanibus poculis, hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? In cœtu verò Populi Romani publicum negotium gerens, Magiſter Equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens fruſtis eſculentis vinum redolentibus, gremium ſuum & totum Tribunal implevit* . . . Vide & N. 104 ejusdem orationis . . . . Idem Agrariâ ſecundâ N. 94 probat Campanos eſſe arrogantiores ingenio, ex naturâ loci quem incolunt.

Ab auxiliis Orator probat idem quod ſuperiùs pro Milone N. 55: *Age nunc, iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate. Semper ille anteà cum uxore, &c.*

A cauſis idem probat eâdem oratione N. 32 . . . . . *Quonam igitur pacto poteſt probari Miloni inſidias feciſſe Clodium? Satis eſt quidem in illâ tàm audaci, tàm nefariâ belluâ docere magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte poſitam, magnas utilitates fuiſſe.*

A modo ſeu ratione quâ Clodius vulneratur, idem eodem loco Cicero probat . . . . *Si hæc non geſta audiretis, ſed picta videretis, tamen appareret uter eſſet inſidiator, &c.* N. 54.

A tempore idem eâdem Oratione N. 54.... *Videte nunc illum egredientem è villâ subitò. Cur vesperi, &c.*

ARTICULUS XV.

Locus à consequentibus.

CONSEQUENTIA sunt ea quæ rem necessariò, vel quasi necessariò consequuntur : ut ex nativitate, hominis vita : ex orto sole, dies consequitur. Undè Cicero natus est, quia vixit : sol ortus est, quia dies est.

Tullius argumentatur ab hoc loco in Oratione pro Milone, N. 62.... *Quòd si nondum satìs cernitis, cùm res ipsa tot & tàm claris argumentis signísque luceat, purâ mente atque integrâ Milonem, nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nullâ conscientiâ exanimatum, Romam revertisse. Recordamini per Deos immortales, quæ fuerit celeritas ejus reditûs? qui ingressus in Forum ardenti Curiâ? quæ magnitudo animi, qui vultus, quæ oratio? &c.* Idem Cicero pro Flacco, deterret Judices à consequentibus malis, ne faveant accusatoribus... *Cùm tabella vobis dabitur &c.* N. 99. Vide & Librum tertium de Oratore sub initium, ubì Populum Romanum consolatur de morte Crassi, ab iis malis, quæ ipsius obitum consecuta sunt, & pro Cluentio, N. 14.

ATICULUS XVI.

Locus à Comparatione.

COMPARATIO est rerum duarum aut plurium collatio : eáque triplex institui potest : prima à majori ad minus, secunda à minori ad majus, tertia à pari.

A majori ad minus, ut Regis cum Civibus : undè, Cives servire Deo par est, quia Reges serviunt. Cicero pro Milone, N. 16. probat non esse quòd ad mortem Publii Clodii Populus Romanus tantopere tumultuetur . . . . *Domi suæ nobilissimus vir, Senatûs propugnator, atque illis quidem temporibus penè patronus, avunculus hujus nostri Judicis fortissimi viri Marci Catonis, Tribunus Plebis, Marcus Drusus occisus est. Nihil de ejus morte Populus consultus, nulla quæstio decreta à Senatu est. Quantum luctum in hâc Urbe fuisse à nostris Patribus accepimus, cùm Publio Africano domi suæ quiescenti illa nocturna vis esset illata? Quis tùm non ingemuit? quis non arsit dolore? &c.* ... Vide & pro Roscio Amerino, N. 131. Verrinâ 5. N. 81, 82. Pro Fonteio, N. 16.

A minori ad majus, ut Civium cum Rege : undè, Non Regem decet avaritia, quia Civem non decet. Cicero pro Lege Maniliâ hortatur Populum Romanum ad vindictam, N.

11. . . . . *Majores veſtri ſæpè, mercatoribus & naviculatoribus injurioſiùs tractatis, bella geſſerunt; vos tot Civium Romanorum millibus uno nuntio atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Legati quòd erant appellati ſuperbiùs, Corinthum Patres veſtri, totius Græciæ lumen, extinctum eſſe voluerunt; Vos illum Regem inultum eſſe patiemini, qui Legatum Populi Romani Conſularem, vinculis ac verberibus atque omni ſupplicio excruciatum necavit? Illi libertatem Civium Romanorum imminutam non tulerunt; Vos vitam ereptam negligetis? Jus Legationis verbo violatum illi perſecuti ſunt; Vos Legatum Populi Romani omni ſupplicio interfectum, inultum relinquetis?* . . . Vide & poſt reditum in Senatu, N. 2. Verrinâ tertiâ N. 127, & pro Cœlio, N. 54, & pro Plancio, N. 26.

A paribus ad paria, ut Adoleſcentis cum Adoleſcente: undè, æquum eſt te navare operam eloquentiæ comparandæ, quia cæteri Adoleſcentes æquales, & coætanei tui navant. Cicero Catilinariâ primâ, N. 17, Catilinæ fugam ſuadet . . . . *Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? Servi mehercùlè mei ſi me iſto pacto metuerent, ut te metuunt omnes Cives tui, domum meam relinquendam putarem: tu tibi Urbem non arbitraris? Et ſi me meis Civibus injuriâ ſuſpectum tàm graviter atque offenſum viderem, carere me Civium aſpectu, quàm*

infestis oculis omnium conspici mallem, &c. Vide & pro Syllâ, N. 4 & 5, ubi probat suum factum non magìs esse reprehendendum, quàm factum Hortensii, & pro Muraenâ, N. 35.

SECTIO II.

De Locis communibus extrinsecis.

LOCI communes extrinseci seu inartificiales sic dicuntur, quia non pendent ex Arte ut excogitentur; quamvis, ut tractentur, maximè pendeant.

Hi Loci sex numerari solent, sed eos Tullius nomine testimonii complectitur; nam testimonium aliud est divinum, aliud humanum.

Ad testimonium divinum referuntur oracula, vaticinia Sacerdotum, responsa Augurum, &c. verùm ista quidem apud Ethnicos; apud nos unum oraculum est, divina lex, utroque Testamento, & Veteri & Novo consignata.

Humano testimonio comprehenduntur

Effata,
Sententiæ,
Proverbia,
Exempla,
Rumores,
Fama;

Et, quæ in judiciis præſertìm valent, leges, teſtes, pacta, tabulæ, ſigna, jurejuranda, quæſtiones, præjudicia.

Et, quæ ſacro Oratori neceſſaria ſunt, ſcrippta & autoritates Sanctorum Patrum, Theologorum, Philoſophorum.

In hâc diviſione teſtimoniorum, multa ſunt, de quibus agere non eſt neceſſe, quoniam nunc judiciorum ratio commutata eſt; idcircò dicemus tantùm de Præjudiciis, de Teſtibus, & de Exemplis.

ARTICULUS I.

De Præjudiciis.

PRÆJUDICIA ſunt judicia facta ante cauſam de quâ agitur.

Præjudicia vel ſunt confirmanda, vel refellenda.

Confirmantur, inquit Fabius, præcipuè duobus: autoritate eorum qui pronunciaverunt, & ſimilitudine rerum de quibus agitur. Ità Tullius Verrinâ quartâ egregiè argumentatur à Decumanorum Præjudiciis N. 174, & ſequenti.... *Si oſtendo hoc decreviſſe Decumanos: ſi planum facio hoc decreto remotas eſſe litteras, quid expectabitis ampliùs? Poſſum-ne rem magìs judicatam afferre? &c.* Idem facit Verrinâ quintâ N. 152.... *Quid, ſi hæc,*

quæ dico, ipsius amici defensorésque judicaverunt : quid vultis ampliùs ? Idem pro Amerino, N. 13, & pro Muræna N. 58.

Refelluntur, inquit idem Fabius, rarò per contumeliam Judicum, nisi fortè in his manifesta culpa erit. Vulgò confugiendum est ad aliquam causæ dissimilitudniem, quæ dissimilitudo si non reperietur, & si eadem causa erit, aut patronorum accusanda erit negligentia, aut querendum de infirmitate personarum contrà quas erit judicatum; aut de gratiâ quæ corruperit, aut de invidiâ, aut de ignorantiâ : aut erit aliquid aliud.

ARTICULUS II.

De Testibus.

TESTES refelluntur, vel comprobantur. In refellendis, aut generatim de Testibus dicitur, aut sigillatim refelluntur, si naturâ vani, si leves, si cum ignominiâ, si spe, si metu, si iracundiâ, si misericordiâ impulsi, si præmio, si gratiâ adducti. Sexcenta sunt exempla hujus generis in Cicerone.

In comprobandis Testibus oportebit ostendere eos esse viros graves, probos, fide dignos. Uno verbo pro Testibus dicenda sunt contraria iis, quæ contrà Testes dicuntur. Sunt hujus generis exempla passim in Verrinis. Ver-

rinâ tertiâ N. 127. *Quid enim Verres? Utrumne his quidem Testibus creditur, an hæc ad rem non pertinent? Non Marco Octavio? Non Lucio Liguri? Quis non credet? Cui nos? Quid est Verres, quod &c.*

Aliquandò, imò sæpè Testes, jocosè refelluntur, ità pro Flacco N. 70. *Quid tibi tandem injuriæ factum est? Negotiaris in liberâ Civitate? Primùm patere me esse curiosum quò usque negotiabere?*

Non possum non indicare egregium quemdam locum à testimonio suaviter, & copiosè tractatum in Oratione pro Comœdo à N. 38. ferè usque ad finem: locum sanè legendum centiès. Item aliud testimonium per interpretationem egregiè tractatum Verrinâ quintâ N. 123 & sequenti.

ARTICULUS III.

De Exemplis.

EXEMPLUM, est rei gestæ utilis ad persuadendum commemoratio: plenæ sunt Exemplis, Ciceronis Orationes. Sic Catilinariâ primâ N. 3. probat sibi licere Catilinam interficere; & pro Milone N. 8. probat exemplo Ahalæ, Nasicæ, Marii, & Horatii, eum, qui alterum occîdit, non continuò oportere damnari. Hoc genere frequenter utitur in Verrinis.

Hic

Hic locus plurimùm valet in conjecturis; in quibus ab anteactâ vitâ ſumuntur exempla ad id probandum, de quo controverſia eſt: ita Tullius probat Clodium inſidiatorem fuiſſe, ab iis, quæ ante nefariè geſſit.

Quædam exempla narranda tota ſunt: ita Cicero pro Milone narrat exemplum militis, cui pudicitiam Tribunus eripere volebat. N. 9. quædam ſignificare ſatis eſt: ut ibidem de Ahala, de Naſica, Opimio, & ea quidem prout nota erunt, vel utilitas cauſæ, aut decor poſtulabit.

Exempla duci poſſunt à diſſimili, ſimili, contrario, à majori, à minori. Vide Verrinâ 7. N. *96.* & ſequenti. Verrinâ 5. à N. 205. ad N. 220. de Haruſpicum reſponſis N. 41. & ſequenti.

Ad exemplum accedit fabula, & eâdem ferè ratione adhibenda eſt: parcè tamen, & ſobriè, nam minus virium habet. Qualis autem uſus fabulæ eſſe debeat, oſtendit Tullius in Oratione pro Milone N. 8. ubi de Oreſte, qui cauſam dicit apud Areopagitas, & pro Amerino, N. *66.* & *67.*

Valet tamen fàbula ad ornatum orationis, Verrinâ *6.* N. 39. *Eriphylem* &c. tùm etiam ad commovendos animos præcipuè hominum ruſticorum, qui capti fabulæ voluptate, facilè iis, quibus delectantur, conſentiunt: ſic Menenius Agrippa Plebem Romanam à ſeditione

revocavit hac fabulâ Livii Decade primâ libro secundo Num. 32...... *Tempore quo in homine, non ut nunc, omnia in unum consentiebant; sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerat, aiunt indignatas reliquas partes, suâ curâ, suo labore, ac ministerio ventri omnia quæri: ventrem in medio quietum, nihil aliud quàm datis voluptatibus frui; conspirasse inde manus ne ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac irâ dum ventrem fame domare vellent, ipsa unà membra totumque corpus ad extremam tabem venisse. Inde apparuisse ventris quoque haud segne ministerium esse: nec magis ali, quàm alere eum reddentem in omnes corporis partes hunc, quo vivimus, vigemusque, divisum pariter in venas confecto cibo, maturum sanguinem.*

SECTIO III.

De Locis specialibus, sive singulorum generum propriis.

HActenùs diximus de Locis communibus intrinsecis, & extrinsecis, qui dicuntur communes, quia continent argumenta tribus causarum generibus communia. Sequitur ut de Locis specialibus, quæ continent argumenta singulis causarum generibus propria, disputemus.

Loci peculiares alii ſunt generis demonſtrativi, alii deliberativi, alii juridicialis.

ARTICULUS I.

Loci peculiares generis demonſtrativi.

GEnus demonſtrativum ſuprà diſtribuimus in duas partes, laudationem, & vituperationem. Porrò laudamus, aut vituperamus perſonam, rem, factum.

De laude perſonarum, aut vituperatione.

IN perſona laudanda aut vituperanda loci occurrunt præcipuè,

A Patria, quæ vel humilis, vel præclara.

A Genere, quod honeſtum eſt aut infame, illuſtre vel obſcurum.

A Natalibus, ſi quid inſigne illorum tempore acciderit.

A Natura, quæ duabus partibus continetur animo, & corpore. Ad animum quinque referuntur, ingenium, judicium, memoria, ſtudium, mores. Ad corpus referuntur quatuor; ſanitas, robur, agilitas, pulchritudo: & contrà ſi vituperamus.

A Fortuna, cui ſubjiciuntur opes, quas quis vel privatus vel Magiſtratum gerens, poſſidet, quibus utitur benè aut malè.

Ab institutione, quæ liberalis, aut illiberalis.

A rebus gestis, quas secundùm singulas virtutes, aut vitia singula, expendemus.

Ab honoribus, quibus aut virtutis ergò quis potitus est, aut ob vitia, privatus est.

A morte, quam, si quid insigne præcesserit, aut consecutum fuerit, advertemus: in qua genus mortis, & causam considerabimus, postquàm funebres honores, Reipublicæ jacturam, luctum bonorum ostenderimus.

Porrò in laudando, seu vituperando, vel temporum ordinem sequemur, vel generum.

Temporum, si à natalibus ad mortem vitam hominis percurramus.

Generum, si in sua quæque genera, singulas res, dicta, facta distribuerimus: quo pacto in Oratione pro Lege Manilia Cicero laudem Pompeii distribuit in scientiam rei militaris, virtutem imperatoriam, auctoritatem, fortunam .... Hic ordo posterior, plus habet artificii, atque adeò difficilior est, ille prior, minùs, atque adeò expeditior.

De laude rerum, aut vituperatione.

REbus laudandis, aut etiam vituperandis accommodati loci sunt: sed res, vel sunt loca; ut,

Provincia ;
Civitas ,
Regio ,
Ædificium.

Vel mentis habitus ſunt , ut
Virtus ,
Vitium ,
Scientia ,
Ars aliqua , &c.

Vel aliud quidlibet , ut
Flos ,
Gemma ,
Veſtis ,
Supellex ,
Fons ,
Arbor.

Regioni aut Urbi , & cæteris id genus conveniunt hi loci :
Ab Antiquitate ,
Conditoribus ,
Situ ,
Ædificiis ,
Salubritate aëris ,
Legibus atque inſtitutis ,
Moribus Incolarum ,
Rebus geſtis ,
Opibus ,
Privilegiis ,
Commercio cum cæteris Nationibus , quæ ſingula duplici ferè capite continentur : uti-

litatis, & voluptatis.

Habitus animi his locis laudantur:

Ab Honesto,
Glorioso,
Jucundo,
Utili,
Necessario,
Facili & Difficili.

Vitia verò contrariis locis vituperantur.

De laude aut vituperatione factorum.

HIs locis commendabimus factum,
Ab Honesto,
Utili,
Jucundo,
Difficili,
Glorioso.
Si quis quid primus fecit.
Si solus, vel cum paucis.
Si sæpe.
Si ex hoc facto summa laus in Auctorem, in Remp. in amicos redundavit.

ARTICULUS II.

Loci peculiares Generis Deliberativi.

GENUS Deliberativum continet ſuaſionem & diſſuaſionem.

Suademus

A legitimo, quod tam à jure ſcripto, quàm à conſuetudine repetitur.

Ab æquo, & pio. Huc refertur quod ad divinum cultum, parentum, amicorum, & civium charitatem pertinet.

A jucundo.

A poſſibili. A facili: qui duo loci probantur per circumſtantias.

Ab utili,
Neceſſario,
Tuto,
Honeſto.

Quid ſit honeſtum, definit Cic. Lib. 2. N. 45. de Finibus.

Diſſuademus
Ab Illegitimo,
Iniquo & impio,
Indecoro,
Injucundo,
Inutili,

Difficili,
Impossibli,
Periculoso,

Utimur nempe ad persuadendum difficili & periculoso; quod è magno periculo, magnâ difficultate, laus major consequatur.

ARTICULUS III.

Generis Juridicialis loci peculiares.

JURIDICIALE dicendi genus varios habet locos, pro diversitate statûs.

Status est constitutio causæ, seu præcipua quæstio, ratio, argumentum, ad quod reliqua referuntur.

Status alius est conjecturalis, in quo quæritur an sit factum. Exemplum habes in Oratione pro Cœlio; ubi quæritur, an Cœlius Clodiæ venenum paraverit?

Qualitatis alius, in quo quæritur quale sit id quod factum est. Exemplum in Miloniana, ubi quæritur, jure, an injuria Milo Clodium occiderit?

Definitivus alius, in quo quæritur quid sit id quod factum est; ut in Oratione pro Plancio, an largitio pecuniæ à Plancio facta crimen sit ambitûs?

Status conjecturalis, sic appellatus, quia Judici conjiciendum est, an sit factum; duos

habet locos, voluntatem, & facultatem: ex eo enim quem quid fecisse conjectamus, quod ei conficiendi voluntas & facultas adfuerit.

Voluntas rursùm duos habet; impulsionem, & ratiocinationem.

Impulsio, affectus animi comprehendit: probamus enim voluisse, si odio, irâ, æmulatione, & cæteris affectibus impulsus est, ut vellet.

Ratiocinatio petitur à fine quem sibi proponere quis potuit, puta spem commodorum, & impunitatis: sic enim ratiocinamur. . . . . . *Voluit occidere, quoniam inde hæreditatem, aut commodum aliquod ad se perventurum sperabat, quoniam impunè sibi fore arbitratus est.*

Facultas item duos habet locos, signa, & circumstantias.

Signa vel sunt antecedentia, vel comitantia, vel consequentia; ita Minæ, & apparatus armorum & hominum, factam cædem antecedunt: comitatur clamor & strepitus, pallor, fuga, trepidatio consequuntur. . . . . . De his autem circumstantiis dictum in locis communibus.

Status qualitatis dividitur in absolutum, & assumptivum.

Absolutus est, cùm absolutè, & sine ulla excusatione, jure factum esse defendimus his locis.

Natura,
Lege,
Æquitate,

Consuetudine, quæ vim legis obtinet.

Judicio, puta si quis in eadem causa est absolutus.

Pacto denique: ut si quem ostendimus, fecisse juxta fidem datam, & pactas conditiones, aut contra easdem venisse.

Status qualitatis assumptivus est, cùm causa de se infirma, coloribus, sive auxiliis aliunde accersitis, corroboratur.

Auxilia ista, colores, seu argumenta, sunt quatuor:

Purgatio, cùm negat Reus dolo factum esse, prætexitque excusationem vel fortunæ, vel necessitatis.

Deprecatio, cum, nudè ac simpliciter misericordiam implorat.

Translatio, cùm culpam in alium transmittit, cujus auctoritate, jussu, minis, oratione, se impulsum contendit.

Comparatio, cùm è duobus malis necessariis, id se asserit admisisse, quod erat levius.

In statu definitivo sic appellato, quòd eo definiatur, quæ sit natura, & ratio ejus rei quæ facta est, attendimus, an omnes adsint conditiones, quibus probari possit talem esse qualem contendimus.

Atque hæc de locis peculiaribus breviter dicta sint; nunc de triplici causarum genere speciatim dicendum.

DE TRIPLICI CAUSARUM GENERE *ſpeciatim.*

HABENT ſingula cauſarum genera ſuas quaſi ſpecies orationum, quarum ſi peculiares loci Eloquentiæ Candidatis innotuerint, futurum eſt ut inde non levem fructum ferant, viamque facilem reperiant ad extemporaneam de omni re propoſitâ diſceptationem.

CAPUT I.

De ſpeciebus orationum in genere demonſtrativo.

SPECIES orationum in genere demonſtrativo, ſunt :

- Panegyricus ;
- Oratio Natalitia, ſeu Genethliaca,
- Nuptialis,
- Funebris,
- Gratiarum actio,
- Gratulatio,
- Lamentatio.

Denique oratio, quam habemus, cùm ſeu diſcedimus alicunde, ſeu eodem revertimur; Et ea, quâ alios aut abeuntes aut redeuntes, cohoneſtamus.

SECTIO I.

De Panegyrico.

PANEGYRICUS primis temporibus, fuit oratio, quæ habebatur apud conventum Græciæ totius, in aliquâ ludorum celebritate; Recentioribus, quæ aut in Senatu, aut in causis, aut in aliquo nobili consessu apud Principem habebatur; Recentissimis & hodiernis, Panegyricus appellatur, quæcumque in laudem viri cujuslibet illustris habetur oratio.

Panegyrici materiam, locos, ordinem repetere licebit, ex iis quæ de persona laudanda tradidimus in expositione locorum generis demonstrativi peculiarium.

SECTIO II.

De Oratione Genethliaca.

ORATIO Genethliaca est ea, quæ habetur in alicujus natalem diem. In hac omnia debent componi ad lætitiam, atque adeò fecerit non inconsultè, qui sumpserit exordium à publicis votis, precibus, festivitate, & hilaritate diei.

Tum dies ipse natalis annotabitur, qui si erit ex festis, fortunatis, aut eventu aliquo

inſigni celebratis, commemorabitur : ſin minùs, aut prætermittetur omninò, aut in bonam partem quoquo modo detorquebitur. Anni tempeſtas etiam animadvertetur, neque de menſe, aut ipsâ horâ reticebitur : deinde locus, civitas, natio commendabuntur.

Laudabuntur familia, parentes, majorum præclarè facta, ut inde fiat gradus ad ipſius laudem, cujus natalem diem celebramus.

At laus iſta, ſi puerum laudemus, petetur ab oris venuſtate, vultu, & reliquâ totius corporis conformatione : à genere, & futurâ educatione.

Si adultum ætate ; petitur ex his locis, quibus laudare conſuevimus, quâ de re in genere demonſtrativo.

In peroratione omnia fauſta puero, parentibuſque precabimur ; imò & in pueri, parentumque gratiam vaticinari licebit feliciter.

Hac methodo procedit Pollionis Genethliacon, apud Virg. Ecloga 4. . . . . . Item & Statius Genethliacon Lucani, primo Sylvarum libro, iiſdem rationibus abſolvit.

SECTIO III.

De Oratione Nuptiali.

ORATIO Nuptialis eſt quâ ſponſo & ſponſæ nuptias gratulamur ſuas.

In exordio cauſa poterit afferri, cur ad dicen-

dum accedamus. Erit autem illa vel amicitiæ, vel affinitatis, vel officii : quin etiam à nostri & publici gaudii ſignificatione exordiri fas erit aliquando, ut in Genethliaca.

Adjungimus Nuptiarum laudationem, cujus confirmatio repetitur ex triplici capite, putà ;

Honeſtate Nuptiarum, quarum auctor Deus immortalis.

Utilitate, quod non ſibi unis conjuges, ſed & Reipublicæ liberos ſuſcipiant : quod conjugium eſt cauſa ſocietatis, etiam inter disjunctiſſimas gentes ; quod non rarò pacem inter inimicos conciliat.

Jucunditate, quod ſcilicet in rebus aut adverſis alter conjux alterius mœrorem abſtergit, vel ex parte communicando levat, aut in proſperis unà lætentur magis, quàm ſi gaudeant ſeparatim.

Tùm fauſta omnia conjugio precabimur, atque, ut eſt apud Senecam ....

——— *Liberos ſimiles patri, ſimileſque matri.*

Imò eos quaſi parentum oculis ſubjiciemus. Jam inde blandiùs arridentes, juxta illud Virgilianum ....

Incipe, parve puer, riſu cognoſcere matrem.

Luſitantes ingenioſa, & nugis puerilibus majora pollicentes .....

Cùm Puer Heroum laudes, & facta Parentum

Noverit, & quæ sit, poterit cognoscere virtus.

Addes, si libuerit, sponsi & sponsæ laudationem, quæ bona corporis, & animi complectitur, sed de iis in genere demonstrativo. Poterit institui Oratio per Apostrophen ad utrumque conjugem, de fide, & concordiâ mutuò conservandâ.

Differunt eo Nuptialis Oratio, Epithalamium, & Hymenæus, quod Nuptialis ante Nuptias, Epithalamium & Hymenæus post Nuptias; sed illa prosâ, hæc strictâ oratione scribantur. Par alioqui utrorumque materia. Habes Nuptialis carminis exemplum apud Catullum de Nuptiis Pelei, & Thetidis; apud Claudianum, de Nuptiis Honorii & Marcæ. Apud eumdem Palladii & Serenæ Epithalamion.

SECTIO IV.

De Oratione funebri.

ORATIO funebris est, quæ habetur in alicujus funere; cujus exordium duci poterit ab aliquâ gravi sententiâ, de rerum humanarum instabilitate: ab indignatione in mortem, quæ bonos ab improbis, nobilem ab ignobili non distinguit: ab exclamatione, sive comploratione.

Tùm expendemus quid ante mortem defuncti, quid in morte, quid post mortem evenerit.

Ante mortem, vitam secundùm singulas virtutes expendemus & ornabimus ex præceptis generis demonstrativi, de quibus aliàs.

In morte circumstantiæ, & genus, causæque mortis considerantur : ut si quis patriæ causâ, aut pro communi bono, pro causa Religionis fortiter pugnando, aut in bello, aut publicum negotium gerens, occiderit, aut multis vulneribus in prælio acceptis ceciderit juxta illud Virgilianum,

——— *O terque quaterque beati,*

Queis ante ora patrum Trojæ sub mœnibus altis

Contigit oppetere.

Post mortem totius Reipublicæ jacturam amplificabimus, atque exaggerabimus, per enumerationem omnium, quibus mors ista fuerit luctuosa, ut inde commiseratio permixta dolore consequatur; quanquam enim totam Orationem respergi querimoniâ oporteat, tamen hoc loco usurpatur maximè; nempe ut sit pro peroratione; nisi & consolationem subtexere volueris, cum abhortatione ad superstites, ut defuncti mores, virtutes, præclare facta sibi proponant imitanda... Statius lib. 2. Sylvarum, scripsit Epicedium Psittaci, eodem libro,

Ursi

Ursi ad parentem Epicedium 3. lib. Clodii, 5°. Parentis, & eodem pueri vernæ. Habes apud Virg. Julii Cæsaris Epicedium cum Apotheosi sub persona Daphnidis Eclog. 5. Habes & Demosthenis funebrem Orationem.

SECTIO V.

De Gratiarum actione.

GRATIARUM actio est, qua de accepto beneficio gratias agimus.

Ordimur testificatione voluptatis, quam ex accepto beneficio percipimus.

Reliquum Orationis corpus, tribus partibus constat.

Laudatione dantis, quam repetes ex genere Demonstrativo.

Amplificatione beneficii, seu rei acceptæ per adjuncta, & circumstantias. Cujus rei extat exemplum apud Plinium, sub finem Panegyrici; ubi Consulatum sibi à Trajano collatum amplificat: idem sub ejusdem Panegyrici pene medium, datum Populo Congiarium exaggerat.

Animi grati, memorisque pollicitatione. Ciceronis Oratio post reditum ad Quirites; post reditum in Senatu; pro Marcello; Epistola ultima lib. 3. sunt gratiarum actiones. Habes & celebrem Ausonii ad Gratianum Imperatorem

ſuper hoc eodem argumento Orationem.

SECTIO VI.

De Gratulatione.

GRATULATIO eſt Oratio qua ſignificamus alicui gaudium noſtrum de bono quod recens adeptus eſt. Ordiemur ab ea ipſâ ſignificatione gaudii.

Extollemus deinde bonum ejuſmodi: & quidem, ſi eximium erit, meritum fuiſſe, qui accepit, affirmabimus: ſi leve fuerit, dicemus meritis accipientis non reſpondere, ſed eſſe gradum ad meliora, & præſtantiora.

Laudabimus induſtriam & rationem, quâ fuerit aſſecutus.

Precabimur, ut felix fauſtumque ſit ipſi, ipſius amicis, & Reipublicæ.

Adhortabimur, ut ad majora contendat. Vide Ciceronem Epiſtolâ 12. & 14. libri 9: 13 & 16, libri 12: & 10, libri 15, ad Familiares. Imprimis, Epiſtolâ 20 libri 14 ad Atticum.

SECTIO VII.

De Oratione Lamentatoria.

ORATIO Lamentatoria his partibus conſtat:

Exaggeratione accepti mali, quâ consequimur, ut leniatur dolor, excitetur commiseratio in eum, cujus casum deflemus, odium in eos per quos calamitas venit, præsertim si malevoli, atque improbi vulgò existimentur.

Injectione metûs in aliorum animos, quos eodem casu posse conflictari dicemus, quo conflictatur ille, cujus casum deflemus. Hinc enim fiet ut de miseria aliena doleant magis, & libentiùs laboranti succurrant.

In peroratione fortunam feliciorem precabimur, & spem ad futurum, consolando faciemus.

Consule Tullium lib. 5. Epistolâ 16. & lib. 14. singulis ad Terentiam Epistolis.

SECTIO VIII.

De reliquis Orationibus in genere demonstrativo.

DISCEDENTES aliquo ex loco significamus iis quos relinquimus, non sine acerbo sensu nos ab eorum societate divelli.

Locum, ex quo proficiscimur, laudamus iis partibus & capitibus, quibus laudari solet regio, civitas, &c. Quâ de re orationis epidictiææ præcepta consules: profitemur nos fore nunquam immemores eorum quos istic amicos, aut beneficos experti sumus.

Commendamus liberos, si quos habemus

affines, familiares, cognatos; fauſta omnibus omnia comprecamur.

Redeuntes domum ex aliqua peregrinatione.

Genium loci præſidem ſalutamus, agimus de reditu felici Deo hoſpitali gratias.

Significamus quoties, & quàm ardenter reditum optaverimus, dum ſubiret abſentes, civium, amicorum, & parentum recordatio.

Laudamus ipſum locum ex præceptis epidicticis & demonſtrativis.

Incolis ipſis benè precamur, & noſtram omnibus in rebus operam pollicemur. Habes exemplum in Oratione quam habuit Cicero poſt reditum in Senatu.

Aliquem ex aliquo loco diſcedentem ſic proſequimur.

Si diſcedat invitus, aut pulſus, teſtamur dolorem noſtrum, in mores temporum indignamur, in fortunam invehimur, res etiam inanimas obteſtamur.

Si lubens diſcedat, vel alicujus legationis obeundæ, vel honoris conſequendi, gratiâ, gratulabimur exeunti, eumque laudabimus à ſuis beneficiis in cives, in amicos, in Remp. collatis.

Utrumque precabimur, ut noſtri abſens meminerit; quod & invicem facturos pollicebimur, utrique fauſta precabimur, illi pro brevi reditu, huic pro felici rerum ſucceſſu.

Hoc genus orationis Græci, προπεμπτικὸν

vocant, cujus exemplum vide apud Statium 3. Silvarum lib. & Horatium lib. 1. Carminum Ode 3.

Redeuntem aliquem aliquo ex loco, faustis acclamationibus excipimus : dicimus redeunti cœlum, terram, homines, arridere ac favere.

Gratias agimus immortali Deo de felici reditu.

Hortamur ut bonis avibus, suis ipse succedat penatibus, domum, familiares, amicos, affines revisat ; eorumdem colloquio, & amplexibus fruatur.

Significamus quantum nos absentis desiderium tenuerit.

Obtestamur ut nunquam abscedat, sed nobiscum valens, florens, carus omnibus, probatus apud bonos, ætatem longissimam ducat.

Habes Trajani Romam redeuntis, inter populorum faustas acclamationes, descriptionem in Panegyrico Plinii.

CAPUT II.

Species Orationum in genere deliberativo.

SUNT Suasio, & Dissuasio, de quibus aliàs.

Hortatio & Dehortatio,
Commonitio,
Commendatio,
Concitatio,
Conciliatio,
Petitio,
Consolatio.

SECTIO I.

De Hortatione, & Dehortatione.

HORTATIO est suasioni cognata, imò est pars extrema suasionis, habetque plus affectuum, quàm rationum.

Amorem in primis excitabimus illius rei, ad quam hortamur. Idque haud difficulter consequemur, si piam, justam, utilem & gloriosam demonstrabimus esse; dignam denique, quæ ab eo suscipiatur Adolescente, Nobili, Sene, aut alio quovis, si personam expendemus; cujus laudem obiter licebit delibare;

& quidem ſi fuerit Adoleſcens, apertiùs, ſi maturior ætate, cautiùs laudabimus.

Quin etiam amorem & benevolentiam illi concitabimus, cujus causâ rem ſuſcipi, & viciſſim odium atque invidiam, in quem ſuſcipi, cupimus.

Erit etiam locus æmulationis gignendæ cùm alienæ virtutis commemoratione, tùm propoſitis majorum exemplis.

Spes præmiorum proponetur, re fortiter, ac celeriter, & acriter ſuſceptâ; neglectâ verò, malorum impendentium timor.

Oſtendemus rei faciendæ neceſſitatem cum facilitate conjunctam.

Concludetur obteſtatione.

Porrò ſi argumenta validiora libuerit admovere; ea repetere licebit ex locis, quos tradidimus in ſuaſione.

Occurrunt hortatoriæ paſſim apud Poëtas, & hiſtoriarum Scriptores: apud Tullium Epiſt. 3, 5, & 10, lib. 10, atque alibì paſſim, ſunt hortatoriæ.

Hortatoriæ opponitur dehortatoria, quæ petitur à contrariis affectibus, cujus exemplum inſigne repetes ex Livii loco, Decade 3, lib. 23, N. 9, in perſonâ Calavii filium ſuum ab Annibale occidendo dehortantis: & apud Senecæ Thebaïdem Act. 4, Jocaſta filios ſuos à cæde mutuâ dehortatur.

SECTIO II.

De Commonitione.

EST prudentis monitoris eum, quem velit corripere, ſibi facere benevolum; facit autem, ſi præmiſsâ laudatione, ſe in animum illius inſinuarit, ſi amore adduci atque officio profiteatur, ſi ejus culpam excuſare videatur; ſic tamen ut tacitè exprobret; ſed maximam loco, tempori, ſociis, ſuaſoribus, & adminiſtris partem attribuat: tùm admiſſæ rei aut culpæ turpitudinem ſubjiciet oculis: pericula, pœnas, & alia hujuſmodi proponet, quibus metus incuti ſolet, atque animus deterreri.

SECTIO III.

De Commendatione.

IN commendatione præmittetur laus ejus, cui aliquem commendamus.

Cauſas commendationis exponemus; eæ verò petentur.

A perſonâ commendantis, ſi fuerit amicus, neceſſarius, propinquus.

Ab eo qui commendatur, ſi dignus ejuſmodi gratiâ, ſi honeſto loco natus: ſi pieta-

te, doctrinâ, prudentiâ, & cœteris virtutibus insignis; vel si desertus, egens, parentibus orbatus, circumsessus ab inimicis, jactatus à fortuna.

Ab eo cui commendamus, si humanitatis plurimæ, si benè merendi naturâ suâ cupidus, si affinitate, aut familiaritate nobis conjunctus.

Petuntur etiam rationes ab ipsa re, si per se honesta, si gloriosa, utilis, facilis; Refert autem quamplurimùm, ut amicè petamus, & blandè, quale est Didonis ad Æneam,

——Per spem surgentis Iuli:
Per connubia nostra, per incœptos Hymenæos.

Vide Cic. toto Epist. lib. 13. & alibi passim; sed præsertim lib. 1. Epist. 3. lib. 2. Epist. 6. & 14.

Si commendationi respondere volueris, adi Tullium Epist. 2. lib. 10.

SECTIO IV.

De Concitatione, & Conciliatione.

CONCITATIO tota consistit in descriptionibus rerum, prosopopœiis, & aliis figuris, quibus ira & odium commoveri solent.

Conciliatio fit significatione amoris & bene-

volentiæ, laude illius, quem conciliare voluerimus, laude ipsius nostri modestâ, & pudenti, quâ consequimur, ut non indigni quæsitâ gratiâ videamur. Cic. 4. & 9. Epist. lib. conciliationum exempla sufficiet.

SECTIO V.

De Petitione.

PETITIO vel apertè & liberè fit, vel cum pudore ac metu.

Si apertè petamus, primùm illius, à quo petimus, erit captanda benevolentia, sive à personâ ipsius, quam suis laudibus ornabimus, ab eâ præsertim virtute, quæ nobis favet in præsentiarum, sive à personâ nostrâ, significatione benè affectæ mentis, & observantissimæ.

Proponemus rem de quâ agitur.

Suadebimus ab utili, honesto, facili, opportuno, & cæteris.

Gratum animum pollicebimur.

His partibus constat oratio Junonis ad Æolum primo Æneidos v. 69. quam sic incipit.

Æole (namque tibi Divûm Pater, atque hominum Rex,
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.)

Ecce præmissam laudationem : sequitur propositio petitionis.

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victosque Penates.

Tùm suadet à facili :

Incute vim ventis, & disjice corpora Ponto.

Denique gratum animum, & mercedem pollicetur :

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ,
Quarum quæ formâ pulcherrima Deïopejam
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.

Vide prætereà Ilionei ad Didonem, eodem lib. 1. Æneidos v. 531.

O Regina, novam cui condere Juppiter urbem,
Justitiâque dedit gentes frænare superbas,
Troes te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus, prohibe infandos à navibus ignes.

SECTIO VI.

De Consolatione.

HUJUS variæ sunt, ac propè infinitæ rationes, pro variis casibus, quibus hæc vita solet conflictari : atque adeò cùm esset

longum, argumenta singula singulis eventibus, ac circumstantiis accommodare, præcipua sat erit generatim deliberare. Sunt autem illa :

Ut elevemus acceptum incommodum, atque verbis, quàm fieri poterit, suavissimis leniamus.

Ut aliquo insigni commodo compensari calamitatem ostendamus.

Ut vitæ humanæ conditionem, quæ ab omni parte beata esse non potest, oculis proponamus.

Ut commonstremus ignavi esse animi dolore frangi, & se mœrori frustraneo excruciandum permittere.

Ut significemus eam esse doloris naturam, quæ malum non minuat, sed potiùs adaugeat.

Ut proponamus exempla eorum, qui similia tulerunt patienter.

Erit prudentis Oratoris loca & reliquas circumstantias accommodare ad personam eam, quam consolatur : est enim, cùm dolor impetu frangi velit ; est cùm tractari molliter, & sensim demulceri, ut in recenti luctu.

Sed ista magis exemplis quàm præceptis illustrabuntur.

Itaque adi Senecam consolatoriis ad Polibium, ad Marciam, ad Helviam.

Ut nihil dicam de Boëtio, qui libellum elegantem de consolatione Philosophiæ scripsit : ut omittam Cic. Epist. 14. & 16. lib. 5. ad Familiares.

CAPUT III.

De speciebus Orationum in genere juridiciali.

JURIDICIALE genus has habet species :
Invectivam ,
Objurgationem,
Expostulationem ,
Exprobrationem ,
Purgationem ,
Deprecationem.

SECTIO I.

De Invectivâ , & Objurgatione.

INVECTIVA , & objurgatio nullâ re differunt , nisi quod hæc ab amico , illa sæpiùs ab inimico proficiscitur , atque adeò utriusque tractandæ ratio similis.

Proponimus crimen de quo agitur.

Exaggeramus ab ipsâ re , cujus indignitatem oculis per hypotyposim repræsentamus.

Ab illius personâ , qui rem admisit , dicemus fecisse , quod esset ab ipsius ætate , genere , conditione prorsùs alienum.

Exponemus quantùm omnium animos à se hoc facto abalienaverit.

Perorabimus hortando, ut referat se ad meliorem frugem.

Ciceronis Orationes in Catilinam, in Vatinium, in Pisonem, in Antonium totidem invectivæ sunt.

SECTIO II.

De Expostulatione.

EXPOSTULATIO est oratio, per quam de acceptâ injuriâ querimur vehementiùs.

Ordimur significatione admirationis nostræ, unde evenerit ut is, apud quem expostulamus, tot à nobis collata beneficia, aut fuerit oblitus, aut neglexerit: ea beneficia obiter commemorabimus.

Injuriam acceptam benefactorum collatione amplificabimus.

Significabimus quantùm ex hoc facto doloris hauserimus.

Refutabimus per occupationem, quæ prætexi ab illo possunt excusationes.

Statuemus eum judicem, quâ pœnâ dignum alterum, qui eâdem in re fuerit, putet.

Fingemus arbitrari nos, imprudenter ab eo esse factum. Profitebimur nos ideò non fac-

tos esse inimicos illi, imò velle oblivisci quidquid est illud, modò ejusmodi re in posterum abstineat. Epist. 1. Cic. libri 5. ad Familiares, est expostulatoria.

SECTIO III.

De Exprobratione, Purgatione, & Deprecatione.

EXPROBRATIO nullâ re differt ab expostulatione, nisi quòd illa apud inimicos & ingratos habetur, apud amicos expostulatio.

Consule Ovidium Epist. Medeæ ad Jasonem. Cic. lib. 5. ad Familiares Epist. 5.

Virgil. 4. Æn. Oratione Did. ad Æneam, quam sic incipit v. 365.

Nec tibi, diva parens, generis nec Dardanus autor.

Quæ dici possunt de Purgatione repete superiùs è statu qualitatis assumptivo.

Cæterùm hujus exemplum vide Cic. lib. 2. Epist. 1.

Deprecatio fieri debet opportuno tempore, & per idoneas personas.

In hac aut locis purgationis utemur, aut rectà confugiemus ad clementiam.

Habes in Cic. Oratione pro Ligario deprecationis exemplum.

CAPUT II.

De Motu excitando.

INITIO primæ hujuſce Partis de Inventione, docuimus, alterum Oratoris, ad perſuadendum, eſſe munus, ut quâ ratione concitentur motus, excogitet: ad id autem valere amplificationem & affectus.

De Amplificatione quidem, commodiùs in ſecundâ Parte, ubi de Confirmatione, tractabimus. Hìc verò de Affectibus.

Atque utinam, intrà hoc breve tempus, quod conſuetudo obtinuit ut Adoleſcentes impendant ſtudio Rhetorices, liceret de iis, pro rei dignitate ac neceſſitate præſcribere?

Regnat enim in Affectibus Ars hæc noſtra, & is quidem malè novit naturam Eloquentiæ, qui Affectus ab Oratoris officio excludi voluit. Hùc incumbendum Oratori eſt, ut animis Auditorum vim afferat. Tendit ſemper ad victoriam qui dicit: Si ratione vinci non poteſt, Affectu vincendum eſt. Judex imperitus, aut pertinax ſæpè fallendus eſt, ne erret; ſæpè è ſua mente vi motuum abducendus eſt, ut ad æquitatem & rationem reducatur; neque enim qui rectâ viâ depulſus eſt, ad eam niſi

alio

alio flexu reduci potest. Probationes efficiunt sanè, ut causam nostram meliorem esse putent Judices: Affectus præstant, ut etiam velint: sed id quia volunt, credunt quoque; nam cùm irasci, favere, odisse, misereri cœperint, agi jam rem suam existimant; sæpè Judex occupatus Affectibus, omnem cognoscendæ causæ rationem amittit: æstu fertur, & velut rapido flumini obsequitur; sic, ut quid sentiat, sedens adhuc, atque audiens ipso vultu, ipsis oculis tacitè confiteri videatur. In hoc igitur sese exerceat Orator, ut valeat Affectibus, sine quibus quæcumque dicturus est, nuda, frigida, infirma, etiam ingrata videbuntur. In his enim totius Eloquentiæ velut spiritus atque animus continetur.

SECTIO I.

Quid sit Affectus, & quotuplex?

AFFECTUS est animi concitatio, quâ quis impulsus aliquid vehementiùs vel appetit, vel aversatur.

Hic loquimur de Affectibus generatim, & quidem non Philosophicè, sed Rhetoricè, quatenùs illi ad persuasionem conferunt.

Duplex est affectuum genus, aliud Patheticum, aliud Ethicum.

Patheticum eſt in quo uno regnat oratio : vehemens ut procella , incenſum ut fulmen, incitatum ut torrens ; tonat, fulgurat , perturbat ſedatos animos , ſegnes impellit, frigidos accendit, obluctantes rapit. Habet ſedem præcipuam in peroratione & circa iram, odium , metum , miſerationem, & circa alios Affectus vehementiores , ac præſertim circa invidiam ferè totum verſatur. In hoc genere oratio debet eſſe contorta & vehemens, inflammata, abrupta, præceps: numerus durior, ſonus, & colliſio verborum aſperior. Hujus generis plurima ſunt exempla apud Cic. pro Quintio, N. 80. 82 & 95. pro Amer. N. 31. in Verr. 7. N. 182. & deinceps ; in Catil. N. 11. Philip. 2. N. 68. & alibi paſſim.

Ethicum eſt ad naturam, ad mores, & ad omnem vitæ conſuetudinem accommodatum, come, jucundum, & ad benevolentiam conciliandam paratum ; adeóque aptum exordiis, ubi lenes affectus requiruntur. Tale illud pro Cœlio N. 7. & 8. . . . . *Tecum, Atratine, agam leniùs , quòd & tuus pudor moderatur orationi meæ, & meum erga te, parentemque tuum, beneficium tueri debeo. Illud tamen te eſſe admonitum volo*, &c. Ejuſdem generis eſt tota ferè oratio : Cùm enim cauſa Cœlii eſſet lubrica & difficilis, non debuit Orator in affectus ita vehementes erumpere , ſed Judicum animos ſenſim ſine ſenſu mitigare per affectus leniores.

Hoc ſecundum genus quia mite ac placidum eſt, ita etiam Oratoris mores jucundos, & amabiles eſſe oportet, ut optimè affectu uti poſſit, aut ſaltem tales eſſe credantur. Sic enim proderit ſuis cauſis, quibus ex ſuâ bonitate faciet fidem: nam qui, dum dicit, malus videtur, utique malè dicit. Quare ipſum etiam dicendi genus debet eſſe placidum & mite, nihil ſuperbum, nihil elatum deſiderat. Propriè, jucundè, & credibiliter dicere opus eſt, ita ut fluere omnia ex natura rerum hominumque videantur, ideòque debent eſſe ſuaves, molleſque numeri, complanata junctura, & longæ Periodi.

Utrumque genus aliquando ſic miſcetur, ut alterum altero temperari ſit optimum, adeòque ex illa lenitate, quâ audientes conciliamus, ad hanc vim quâ eoſdem excitamus, oportet influat aliquid; & ex hac vi aliquid illius levitatis. Exemplum utriuſque generis habemus pro Cœlio à N. 33. ad N. 39. ubi primò gravis eſt Appii Cæci ad Clodium objurgatio, mox lenior P. Clodii ad eandem monitio; iterùm ſeveri cujuſdam parentis perſona, mox lenis adversùs Cœlium inducitur. In utroque genere verſatus eſſe debet perfectus Orator, quia quædam cauſæ, quidam pariter loci cauſarum mitiores affectus poſtulant, quidam verò graviores. Cùm enim omnes non poſſint excitare graviores illos motus, quia vel ætas,

vel auctoritas, vel vires Eloquentiæ deficiant, vel causa non postulet: necesse est tunc ad leniores affectus confugere, quibus, utpote occultioribus & dulcioribus capi nos ac deliniri faciliùs patimur; tunc enim non vinci rapique, sed sponte nos dedere, & libenter ad Oratoris sententiam accedere videamur.

Hinc patet in singulis Affectibus tria considerari oportere, scilicet, Oratorem qui movere; deinde Auditorem, qui moveri debet, postremò res, è quibus affectus est hauriendus. Hæc tria diligenter explicemus.

SECTIO II.

Quid spectandum in Oratore qui movere debet?

IN Oratore præter spiritum & impulsum Dei, cujus unius est movere animos, (si de sacris concionibus agatur) necessaria sunt.

Primò, sapientia, vel saltem sapientiæ existimatio.

Secundò, virtus & probitas, maximè verò sanctitas & justitia, vel saltem opinio.

Tertiò, conditio & auctoritas dicentis, cui plurimùm faciet ætatis maturitas, illis enim facilè sese ducendos permittunt homines.

Quarto eloquentia grandis, & nervosa, incitata, vehemens, rerum copiâ & dignitate verborum instructa, in amplificatione non me-

diocriter versata. Accedat oportet vocis laterumque firmitas, affectuum contentioni par.

His autem virtutibus adjungi debet ultima maximaque veluti dispositio, similitudo affectuum, quæ potentissima movendorum animorum ratio est; nam in ciendis Affectibus hoc caput est, hæc summa, ut Orator priùs commoveatur eo affectu, ad quem vult Auditorem adducere; Et verò plus motûs animi, plus dolor, plus mœror Oratoris, quàm omnis omninò ars valet. *Hoc vos doceo*, inquit Antonius lib. 2. de Oratore N. 197. *ut in dicendo irasci, ut flere, ut dolere, possitis, sic ut incendium non oratione solùm, sed multò etiam magis vi & dolore, & ardore animi, concitetis.* Idem Antonius in eod. lib. hanc admirabilem artem in Crasso laudat his verbis. *Hæc ego, Crasse, cùm à te tractantur, horrere soleo, tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor oculis, vultu, gestu, digito denique isto tuo significari solet, ut mihi non solùm incendere judicem, sed ipse ardere videaris; neque fieri potest ut doleat Auditor, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat, ut ad fletum misericordiamque deducatur, nisi omnes ii motus, quos Orator adhibere volet judici, in ipso Oratore impressi esse atque inusti videbuntur. Neque enim facile est perficere, ut irascatur, cui tu velis, judex, si tu ipse id lentè ferre videare; neque ut oderit eum quem tu velis, nisi te ipsum fla-*

grantem odio ante viderit; neque ad misericordiam adducetur, nisi tu ei signa doloris tui verbis, sententiis, voce, vultu, collachrymatione denique ostenderis, uno verbo nulla mens est tam ad comprehendendam vim Oratoris parata, quæ possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam, & ardens accesseris. L. 2. de Oratore, N. 188.

In eandem sententiam præclarè quoque Horatius in Arte Poëtica, v. 102.

——— ——— *Si vis me flere, dolendum est*
Primùm ipsi tibi, tunc tua me infortunia lædent,
Telephe, vel Peleu: Malè si mandata loquêris,
Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia mœstum
Vultum verba decent; iratum plena minarum;
Ludentem lasciva, severum seria dictu.

Exultat hac in re Fabius, is enim libro 6, cap. 3. sic habet..... *Quid est aliud causæ, ut lugentes utique in recenti dolore disertissimè quædam exclamare videantur, & ira nonnunquam indoctis eloquentiam faciat, quàm quod illis inest vis mentis, & veritas ipsa morum? quare in iis quæ verisimilia esse volemus, simus ipsi similes eorum, qui verè patiuntur, affectibus; & à tali animo proficiscatur Oratio, qualem facere judicem volet. An ille dolebit, qui audiet me, cùm hoc dicam, non dolentem? irascetur, si nihil ipse qui iram concitat, idque*

exigit, ſimile patiatur? ſiccis agenti oculis lachrymas dabit? fieri non poteſt. Nec incendit niſi ignis, nec madeſcimus niſi humore, nec res ulla dat alteri colorem, quem ipſa non habet. Primum eſt igitur ut ipſi afficiamur, antequàm afficere conemur. Verùm quomodo fiet ut afficiamur? neque enim motus ſunt in noſtra poteſtate. Reſpondet Fabius eum, qui noverit imagines rerum abſentium, ut eas cernere oculis, ac præſentes habere videatur; fore in affectibus potentiſſimum. *Sic, ut hominem occiſum querar, non omnia, quæ in re præſenti accidiſſe credibile eſt, in oculis habebo? non percuſſor ille ſubitus erumpet? non expaveſcet circumventus? exclamabit? vel rogabit, vel fugiet? non ferientem, non concidentem videbo? non animo ſanguis, & pallor, & gemitus, extremus denique expirantis hiatus inſidet. Ita etiam cùm miſeratione opus erit, nobis ea, de quibus querimur, accidiſſe credamus; atque id animo noſtro perſuadeamus.* Nos *illi ſimus, quos gravia, indigna, triſtia paſſos queramur, nec agamus rem quaſi alienam, ſed aſſumamus parumper illum colorem.* Quid enim attinet perſonas induere, niſi eorum affectus etiam induimus? Denique teſtatur Fabius, *ſe in dicendo frequenter motum fuiſſe, ut ipſum non ſolùm lachrymæ deprehenderent, ſed pallor, & vero ſimilis dolor.*

SECTIO III.

Quid ſpectandum in perſonis, quæ affectu movendæ ſunt?

CUM tota dicendi facultas referatur ad Auditorem, cujus judicio ac permotione victoriam, finemque Orator conſequatur, tota proinde eſt ad Auditoris ingenium, moreſque conformanda, maximè ea pars quæ animi concitandi partes ſuſcipit. Quidam diſficillimè, alii nonnunquam permoventur, alii irâ faciliùs, alii miſeratione, quidam vehementibus, nonnulli lenioribus affectibus tanguntur.

Id ergo in primis provideat Orator diligentiſſimè, apud quos agat. Quod ſit eorum ingenium, quæ natura, quæ indoles, quæ educatio, qui ſenſus, quæ vitæ conſuetudo, uno verbo quibus moribus ſint inſtructi.

Mores autem Auditorum ſpectantur vel ſigillatim, vel universè. Sigillatim quidem mores cujuſque proficiſcuntur, vel ex ejus natura, vel ex ingenio, & indole, vel ex educatione, atque conſuetudine. Sed infinita foret diſputatio, ſi ſingulorum eſſet explicanda natura, neque verò ſingulos ſeorſim Orator, ſed unà omnes permovere aggreditur.

Itaque mores universè ſi ſpectes, cognoſcuntur, oriunturque vel ex natura nationis; alii enim Gallorum, alii Italorum mores: vel ex fine rerum publicarum, nam Democratiæ finis eſt libertas; Oligarchiæ ſunt deliciæ; Ariſtocratiæ ſunt ea, quæ ad inſtituta, legeſque civitatis pertinent. Monarchiæ, bonum commune. Ut igitur ad hos fines ſingularum inſtituta, leges, moreſque civitatum referuntur, ita orationem, & affectus ad eoſdem accommodare debet Orator, v. g. eos qui ſunt in ſtatu populari, amore libertatis commovebit: Qui in Regno, qui in Statu Monarchico, amore boni communis, & ita de aliis.

Jam verò mores hominum ejuſdem gentis, nationis, ac Reipublicæ, quatuor modis conſiderari poſſunt, pro quadruplici Auditorum diſcrimine. Nam ex diverſis affectibus, habitibus, ætate, fortunis, diverſi hominum mores naſcuntur.

Affectibus mores plurimùm immutantur, nam aliud ſuadet amor, aliud ira.

Pro habituum quoque varietate varii ſunt mores, aliter enim affectus eſt juſtus, aliter injuſtus.

Ætas alios etiam mores facit; alii enim ſunt juvenum, alii virorum, alii ſenum.

Poſtremò, mores diverſi ſunt ratione fortunæ; ſic alii ſunt mores nobilium, divitum, potentium, alii ignobilium, pauperum, & plebeïorum.

Itaque cùm varii sint affectus pro ista morum varietate, mores Auditorum suorum diligenter debet inspicere Orator, ut ad eorum naturam affectuum movendorum orationem omnem accommodet.

Illud etiam omni studio, & cogitatione conari debet Orator, qui vult movere, ut odoretur sagacissimè quid sentiant Judices, quid existiment, quid expectent, quid velint, & quò deduci oratione facillimè posse videantur. Si se dat Judex, & suâ sponte, quò impellitur, inclinat, accipiendum est quod datur, & ad id, unde aliquid favorabile ostenditur, vela danda sunt. Adeòque illud optandum est Oratori, ut Judex suâ sponte afferat aliquam animi perturbationem, ei, quam excitare velit, accommodatam. Si verò est integer, quietusque Judex, plus est operis. Sunt enim omnia dicendo excitanda, nihil adjuvante naturâ. Sed tantam vim habet illa omnium Regina rerum oratio, ut non modò inclinantem Judicis animum erigere, aut stantem inclinare, sed etiam adversantem, & repugnantem rapere possit.

SECTIO IV.

Quid considerandum in rebus ad movendos animos idoneis?

OMNIS affectus naſcitur non ſolùm opinione boni vel mali, quod accidit, aut accidere ſolet, ſed etiam ex conſideratione perſonæ, cuì, vel à quâ bonum illud, vel malum accidit, aut debet accidere. Itaque fit, ut quantò majus apparet bonum illud vel malum; quantò honeſtior & amicior perſona, quæ afficitur; quantò dignior, aut indignior perſona, quæ afficit, tantò gravior, & vehementior affectus oriatur.

Hinc planum eſt affectus duci à rebus, & perſonis, & in iis conſiderari oportere, quid ſit invidioſum, quid favorabile, quid miſerabile, quid inviſum, & alias rerum, ac perſonarum, temporum etiam, & locorum circumſtantias; v. g. alicujus facinoris atrocitatem ad movendos animos exaggerare volens, exponam quid factum ſit, à quo, in quem, quo animo, quo tempore, quo loco, quo modo; denique ea dicam, quibus, ſi Judex eſſem, maximè commoverer. Pulſatum aliquem querimur: de re primùm ipsâ dicendum eſt, tùm de perſona, quæ violata eſt, ſi ſenex;

si puer, si Magistratus, si probus, si benè de Republ. meritus; deinde de eo, qui injuriam intulit, si vilis, & contemptus, vel nimiùm potens, vel ejusmodi, à quo minimè hoc fieri oportuit; deinde reliquas circumstantias prosequemur. Ut si die solemni, aut quo tempore judicia ejus rei maximè exercerentur. Item in theatro, in templo, in concione, si non errore, vel irâ; si plus videri potest voluisse, quàm fecit: si graviter, si contumeliosè.

Item volens aliquem defendere, vel ab ejus persona misericordiam excitare, ejus dignitatem, nobilitatem, studia, merita majorum commendabo; ejus labores, pericula, vulnera, mortem pro Republicâ susceptam commemorabo. Ejus miseriam, & calamitatem ex præteritæ, futuræ, præsentis fortunæ imagine demonstrabo. Subibo ipse illius personam, ut Cic. pro Milone, modò illum inducam querentem, obtestantem, gementem, dummodo id ex personæ decoro fieri possit. Addam squallorem, & solitudinem parentum, & propinquorum: producam familiam, uxorem, liberos, ut præsens puerorum tristitia, & mutuus aspectus, lachrymas invitis etiam Judicibus eripiat. Denique omnes affectus implebo. Hæc omnia Tullius non tam ingenio, ut ait ipse, quàm dolore, quo potissimùm volebat, perfecit in suis perorationibus pro Amerino, pro Fonteio, pro Muranâ, pro Plan-

cio, pro Milone; item in Verrinis pro Philodamo, & pro Gavio.

Mos erat antiquis Oratoribus ipſos, quos defenderent, ſquallidos, & deformes producere coram Judicibus: oſtendere cruentos gladios, veſtes ſanguine perfuſas: item vulnera reſolvere, & verberata corpora in medio foro denudare; nam ejuſmodi rerum ingens plerùmque vis eſt, & animos Auditoris velut in rem præſentem ducunt: Sic Populum Romanum egit in furorem toga Cæſaris ab Antonio prolata in foro cruenta; nam veſtis illa ſanguine madens, ita repræſentavit imaginem ſceleris, ut non occiſus Cæſar, ſed tùm maximè occîdi, videretur.

SECTIO V.

Quo modo, quibus locis, quibus figuris, quo genere orationis moventur affectus?

IN movendis affectibus non opus eſt argumentatione. Nam argumentatio tenet intentam, & velut expergefactam mentem, ut nullus facilè ſubrepere, & auferre ipſam poſſit affectus. Præthereà cùm ſedatum, & coactum ſit ipſum argumentandi genus, turbulentæ, & liberæ affectuum agitationi minimè convenit; & illa argumentandi quies rapiendis extrà ſe Auditorum animis accommo-

data non eſt, ſaltem quoad argumentationis formam, quæ quoniam brevis eſt & jejuna, & magis ad docendum Auditorem, quàm ad movendum idonea, rarò, aut ferè nunquam in affectus cadit. Certè amplificatio, ſine qua vix excitari poteſt motus, teſte Cicerone, nihil eſt, niſi quædam vehemens argumentatio, quæ tamen in affectibus latet, & impetu vehementiâque dicentis ſic obruitur, ut expoſitioni ſimilior, quàm argumentationi videatur.

Hinc planum eſt affectum omnem eſſe præcipitem & temerarium : neque tamen ſequitur ad illum ſemper eſſe abruptè & ſtatim aſſiliendum; & cùm in eum ingreſſus fueris, celeriter eſſe diſcedendum. Non enim, ſicut argumentum arripitur, ſimul atque propoſitum eſt; ita miſericordiam, aut invidiam, aut iracundiam poſſis ipsâ propoſitione commovere. Neceſſe eſt multâ & variâ, & copiosâ oratione eumdem motum diù inculcare, diù verſare, in illo commorari. Non enim, inquit Plinius, amputata oratio, & abſciſſa, ſed lata, & magnifica, & excelſa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat, ac miſcet : v. g. qui dicit expugnatam urbem, inquit Fabius, ſine dubio complectitur omnia quæcumque in ejuſmodi expugnatione accidere ſolent : ſed in affectus minùs penetrat brevis hic veluti nuncius. At ſi aperias hæc, quæ verbo uno incluſa erant, *appare-*

bunt effusæ per domos & templa flammæ, & ruentium tectorum fragor, & ex diversis clamoribus unus quidam sonus: aliorum fuga incerta; alii in extremo complexu suorum cohærentes, & infantium fœminarumque ploratus, & malè usque in illum diem servati fato senes, & conata retinere infantem suum mater, &c. Licèt enim hæc omnia complectatur urbis eversio, minus est tamen totum dicere, quàm omnia.

Cùm dicimus eundem affectum diù versandum esse, & in eo, quo altiùs imprimatur, commorandum; de omnibus affectibus dictum intelligi volumus.

Sunt enim affectus quidam qui ipsâ morâ deperduntur, & evanescunt: v. g. miseratio, si longa sit, perit; nihil enim faciliùs arescit, quàm lachrymæ. Nam cùm etiam veros dolores tempus mitiget, necesse est citiùs evanescat illa imago, quam dicendo effinximus; in quâ si moramur, lachrymis fatigatur Auditor, & requiescit, & ab illo, quem ceperat impetu, ad rationem redit.

Non patiamur igitur Auditoris lachymas nostro frigore siccari, neque affectum elanguere; sed cùm ad summum perduxerimus, relinquamus: nec speremus fore ut aliena quisquam diù ploret. Ideòque cùm in aliis, tùm maximè in hac parte crescere debet Oratio: nam facilè deficit affectus qui descendit, neque diù ascendere quisquam potest.

Porrò meminerit Orator ad movendas lachrymas opus esse summis ingenii viribus; nihil habet ista res medium, sed aut lachrymas meretur, aut risum. Qui minùs ingenio valebit, affectu & dolore valeat necesse est, si lachymas elicere volet.

Et quoniam ex affectibus alii sunt diuturniores, alii breviores; operæ pretium est, quemadmodùm utrique movendi sint, perscribere.

Ad affectum quem hærere in animis, & diuturnum esse volumus, quales sunt amor, odium, invidia, metus; sive illi vehementes sint, sive lenes, præparari debet auditoris animus solidâ, & artificiosâ causæ expositione, vel confirmatione; ut hac quasi velitatione debellatus, vel sponte cedat affectibus, vel invitus etiam auferatur; tales sunt affectus perorationum; tales quoque reperiuntur statim post rei atrocissimæ narrationem, vel probationem; & tunc in eos irrumpimus per apostrophen, vel exclamationem, vel aliam vehementem figuram, & illum affectum amplificatione dilatamus, ut Verr. 5. N. 71. post Philodami, & ult. N. 168. post Gavii suppliciorum narrationem. Aliquando id fit vel in mediâ narratione, præsertim si sit illa paulò longior, & occurrat aliqua circumstantia excitandis affectibus opportuna, ut passim in Verrinis.

Ad

Ad hoc genus refertur is Affectus, qui dicendo repente non potest fieri summus. Is enim paulatim excitandus oratione est, ut pertentetur animus Auditoris, ut sensim subeatur, ut penetretur. Quod quidem fit, cùm velut gradibus quibusdam ab infimo ad summum amplificando, vel res ipsas particulatim & patheticè demonstrando perducitur.

Secùs est, cùm ad dicendum accedit Orator summis affectibus, aut reipsâ occupatus, aut occupatum se simulans, ut ipsum statim Auditorem invadat; idque fit non in causis ordinariis & sedatis, sed in extraordinariis & repentinis; qualis illa prima Catilin..... *Quo usque tandem abutere, Catilina, patientiâ nostrâ?* &c. & in Pisonem.... *Jam-ne vides, bellua; jam-ne sentis quæ sit hominum querela frontis tuæ?* Nam ejusmodi causis conveniunt abrupta, & inflammata exordia. Tale est etiam illud exordium Mutii Scævolæ ad Porsennam apud Tit. Liv. ut in re repentinâ repentinum. Dec. 1. lib. 2. N. 12. *Civis Rom. sum: Caium Mutium vocant* &c.

Alii sunt affectus breviores, & subiti magis, qui orationis vento, tanquam in stipulâ ignis, excitantur; & hi quidem totâ oratione dispergantur: sed ut de improviso propè prorumpunt, sic celeriter quoque recedunt: neque desinunt tamen aculeum quemdam in animis relinquere; nam sæpius repetiti, percellunt de-

nique Auditorem, si non impetu ac viribus, saltem turbâ & multitudine. Id autem fit in causis levibus, quæ diuturnos, & graves affectus non patiuntur.

Loci unde possunt duci Affectus, sunt:

Honestum, turpe, facile, jucundum, molestum, utile, inutile, necessarium, indignum.

Præterea nullus est ferè locus ad movendos affectus inutilis; præcipui tamen sunt:

Definitiones, partium enumerationes, causæ, effecta, contraria, similia, exempla.

Nullus autem est uberior, & movendis affectibus accommodatior locus, quàm ab adjunctis personarum, locorum, temporum, & qualitatum. Nam Oratio ut moveat, debet non solùm continere expositionem, sed etiam accuratam rerum descriptionem, quæ possit animum afficere, & affectum excitare: siquidem res exposita, & explicata, magis apparet, & movet, quàm implicata, & involuta. Porrò expositioni, explicationi, descriptioni, quid aptius quàm locus à circumstantiis?

His adjungi debent loci proprii singulorum affectuum, quorum aliquos posteà breviter indicabimus. Hi omnes loci Oratori tenendi sunt, & frequenti exercitatione pertractandi, & cùm dicendum erit, sedulò investigandi.

Porrò hæc omnia non argumentando, sed ornando, & amplificando tractanda sunt.

Nihil potentius est ad affectus excitandos, quàm figura. Nam si frons, oculi, manus, multùm valent ad motum animorum, quantò plus Orationis ipsius vultus, ad id quod intendimus efficere, compositus?

Præcipuæ figuræ sunt descriptiones, & hypotyposes, quæ sensus intimos acutissimè percellunt rem ante oculos ponendo, ut geri coram spectariq; potiùs, quàm audiri videatur. Nam ex his, affectus non aliter sequetur, quàm si rebus ipsis interessemus; & in his quidem qui fuerit benè versatus, tenebit habenas animorum, & flectet pro arbitrio voluntates: Plurimùm in hoc genere eminet, sicut in cæteris, Oratorum Princeps & parens Tullius. Quis enim, inquit Fabius, tam procul à concipiendis rerum imaginibus abest, ut cùm illa legit in Verrina 7. N. 85. *Stetit soleatus Prætor Populi Romani cum pallio purpureo, tunicâque talari, muliercula innixus, in littore*; non solùm ipsum os intueri videatur, & locum, & habitum, sed quædam etiam ex iis quæ dicta non sunt, sibi ipse astruat. Ego certè mihi cernere videor & vultum, & oculos, & deformes utriusque blanditias, & eorum, qui aderant, tacitam aversationem, & timidam verecundiam.

Infinita sunt in Ciceronis Orationibus hæ

rum exempla figurarum : sed præsertim in Verrinis passim, ut in historiâ Philodami, & Gavii; item illa descriptio Pisonis & Gabinii, pro Sextio à N. 17. ad 23; & illa mors Trebonii, Philippicâ 11. N. 12. & alibi alia.

His descriptionibus adduntur aliæ figuræ graves, ut exclamatio, detestatio, execratio, dubitatio, apostrophe, antitheton, & præsertim sermocinatio, & prosopopœia, de quibus dicemus in tertiâ Rhetoricæ parte.

Ad figuras accedat oportet ipsum genus Orationis, ipse stilus, & dicendi character; qui quidem affectui, quem excitare nitimur, accommodandus est, sic, ut dictio ipsos affectus, quos paritura est, induat, & varias in figuras sese transferat : aliter enim atque aliter afficit aliud, atque aliud orationis genus.

Sit ergo in commiseratione Oratio flebilis, in gaudio quodammodo exultans, in ira vel odio indignabunda, in vitiorum reprehensione vehemens, in materiâ gravi ardens, & concitata.

Meminerit autem Orator omnis, sed maximè Concionator, sibi vitanda esse vitia duo. Primum, ne utatur genere dicendi, & argumentandi obscuro, difficili, incerto, Metaphysico, ut aiunt, & universali. Nam hujus generis dictio & argumentatio motum potiùs extinguit, quàm juvat. Enim-verò obscura, & difficilis, vel non intelligitur, vel magnâ

mentis contentione intelligitur, & animi vim obtundit & exhaurit: incerta & dubia, non movet, quia non determinat: metaphyſica, & univerſalis, præter quàm quod obſcura, & difficilis eſt, etiam longiùs abhorret à ſenſibus, in quorum tamen permotione tota vis affectuum poſita eſt.

Quamobrem, ut rectè obſervat Ariſtoteles, res univerſales minimè voluntatem movent: nec Dialectici ad motus eliciendos apti ſunt, nec ad eoſdem ſuſcipiendos parati; quia plus intelligentiæ tribuunt quàm ſenſibus; perſuaderi illi quidem poſſunt, motibus exardeſcere non poſſunt.

Sit ergo genus dicendi facile, certum, uſu communi receptum; denique ejuſmodi, ut ad ſe pertinere maximè ſentiant Auditores; idcircò danda eſt opera, ut qui audiunt, intelligant rem ſuam agi, & illam quidem eſſe maximi momenti, neque abeſſe longè utilitatem vel perniciem, ſed jam inſtare, imò adeſſe.

Secundum vitium eſt planè diverſum, & ſacro Oratori multò magis fugiendum, quàm illud primum: ſcilicet ne ſequatur nimium Orationis florem, & illas dicendi amœnitates, ac delicias. Mollior, ac delicatior eſt picta illa, & anxiè dimenſa Oratio, quàm ut cadere poſſit in inquietam, & turbulentam naturam affectuum, in quibus ferè plus impetus

& calor, quàm diligentia valet. Sit gravis Concionator, sit vehemens, suavis tamen; sed eâ suavitate, quæ sit austera & solida, quæ perstringat potiùs animos quàm demulceat; quæ non tam memoriam concinnitatis suæ, quam cum delectatione aculeos etiam relinquat; neque enim tam docendus est Christianus Auditor ut sciat meliora, quàm ut velit; ideóque à suis vitiis, & affectibus avertendus, & ipse sibi quodammodo est auferendus: quò certè nunquam perveniet Concionator, qui contentus Auditorum exclamationibus, aures tantùm numerosè quatit, nec altiùs descendit in pectus, & in audientium animo non tumultuatur.

Hoc decipiuntur plerique, quod omnes dicendi virtutes in omni causarum genere & conditione decere existiment. Quasi verò plus referat quid dicas, quàm quomodò dicas, & quo loco. v. g. quis ferat Concionatorem decurrentibus Periodis, & quàm lætissimis locis, argutisque sententiis, de Christi patientis doloribus dicentem? Nonne óderit potiùs ejusmodi cauponem eloquentiæ, arguta verba in tam luctuoso argumento aucupantem, & anxium de famâ ingenii, & cui tunc esse disertum vacet. Indignor tales audiens Oratores; neque enim sententiolis flendum est. Epiphonemata aut Enthymemata meas lachrymas non merebuntur, neque exorabunt. Nam

quidquid adjicitur meris affectibus, omnes eorum vires diluit. v. g. queratur de morte filii pater; an ejus narratio non erit incitata & iracunda? an omisso affectu, & impetu in argumentis leporem captabit? quò fugerit interim dolor ille? ubi lachrymæ substiterint? unde se in medium tam secura artis observatio immiserit? non ab exordio usque ad ultimam vocem continuus quidam gemitus, & idem tristitiæ vultus servabitur? in ejusmodi enim causis non lascivire, sed ne argumentari quidem decet, nisi mistis affectibus, & quidem ita ut in ipsâ etiam probatione maximè emineant.

Superest, ut de Pronunciatione, quæ ad motus excitandos multùm valet, breviter dicamus. In affectibus qui lenes sunt, opus est lentâ potiùs voce, quàm nimis acceleratâ. Item requiritur lenitas vocis, vultûs modestia, pudoris significatio, comitas verborum, orationis facilitas, & suavitas.

Ad graves affectus adhibenda est concitata & inflammata pronunciatio, vocis vehementia, & gestuum major agitatio.

In utroque genere motuum, sit pronunciatio viva, & efficax, non iners, languida; urgeat se se Orator, excitetque: neque ex ore tantùm nascatur motus, sed ex ipso mentis ardore inflammatæ voces erumpant.

SECTIO VI.

Ubi, & quando utendum Affectibus?

ETSI Affectus in omnibus Orationis partibus fusi esse debent, proprium tamen locum habent in iis partibus, quæ etsi nihil docent argumentando; commovendo tamen proficiunt plurimùm.

Igitur erunt motus in exordio, sed lenes, & placidi; & hi quidem delibabuntur tantùm, non consumentur. At verò in Peroratione licebit totos Affectus effundere atque consumere, modò tamen id causa postulet, sunt enim parvæ quædam causæ, in quibus non adhibendæ sunt hæ dicendi faces; neque etiam cùm ita affecti sunt Auditores, ut nullis motibus inflecti possint. Nam quantò magis urgemus obnitentem, tantò fit acrior, & nobis iratior.

Etiam ipsa Peroratio nonnunquam lenes Affectus habet; ut quando volumus nobis adversarium conciliare, quia illi debita est reverentia: vel quando eum amicè commonemus, & ad concordiam hortamur, ut in Peroratione Philippicæ primæ.

Adhibendi sunt motus in narratione, sed non diù, ut in Epilogo; nam effugiendæ sunt moræ, & quidem sic tractandi sunt, ut quis-

que naſcetur: nam res atroces, & miſerabiles ſine Affectu exponi non debent; ita Tullius in narratione ſuppliciorum Gavii, Verr. 7. omnes leviſſimè movet Affectus, non ſolùm conditione ipſius Gavii, loco injuriæ, genere verborum; ſed animi quoque commendatione, oſtendit enim ſummum virum, qui cùm virgis cæderetur, non ingemuerit, nil rogaverit; ſed tantùm Civem ſe Romanum eſſe, cum invidiâ cædentis, & fiduciâ juris, clamaverit. Quid? nonne Philodami caſum per totam expoſitionem incendit invidia, & in ipſo ſupplicio lachrymis implevit, cùm flentes non tam narraret, quàm oſtenderet patrem de morte filii, filium de patris? Quid ulli Epilogi habere poſſunt miſerabile magis? ſerum enim eſt advocare iis rebus Affectum in Peroratione, quas ſecurus narraveris. Jàm enim illis aſſuevit Auditor.

Cùm oſtendere volumus qualis res fuerit, uniuſcujuſque probationibus, aut narrationibus rectè ſubjungitur Affectus, ut jam dictum eſt; ut paſſim in Verrinis, ubi Orator Philodamo, Navarchis, & cruciatis Civibus Romanis, aliiſque, ſuas lachrymas dedit.

Denique, quoniam Auditores ad ſententiam noſtram adducimus, aut docendo, aut conciliando, aut movendo: unum ex his tribus præ nobis ferendum eſt, ut nihil aliud niſi docere velle videamur: conciliare autem, aut mo-

vere, quasi aliud agentes, totâ Oratione studeamus.

Causæ privatæ, & communes, aut magnâ ex parte Affectibus carent, aut habent affectus leniores. Nam in parvis quidem litibus tragicos motus excitare, tale est, quale si Cothurnos aptare infantibus velis. Ejusmodi lenes Affectus mirè valent in defensionibus, in quibus medendum est animis Judicum exasperatis. Talis illa pro Ligario, & Dejotaro defensio apud Cæsarem.

His omnibus, quæ à nobis de Affectibus sunt dicta, addi debet ratio solvendorum Affectuum: quæ in hoc posita primùm videtur, ut mens Auditoris suæ tranquillitati reddatur. Hoc autem fit cùm res ipsas, quarum amplificatione Affectus creverat, minuimus, & Affectum ad rationem revocamus per continuam quamdam, & communem, & nullis eminentibus figuris distinctam Orationem.

Secunda ratio est, cùm Affectus contrariis Affectibus discutiuntur, vel conciliatâ misericordiâ molliuntur, vel novo quodam Affectu undecumque evocato obruuntur, vel risu denique, quo nihil ad hoc potentius est, dissolvuntur. Sic Tullius pro Muræna nihil æquè videtur opposuisse Catonis & Sulpitii authoritati, quam lætissimam illam facilè dicendi venustatem, quæ judicium omne risu dissolvit.

SECTIO VII.

De Affectibus sigillatim.

POSTQUAM de Affectibus generatim diximus, operæ pretium facturi videamur, si de illis sigillatim quoque, velimus aliquid præcipere. Philosophi quidem, cùm de animi perturbationibus disputant, magnam partem in his partiendis & definiendis occupati sunt, & vitalium spirituum per arterias meatus atque agitationem, curiosè investigant. Nos sanè difficiles ejus doctrinæ spinas relinquamus, scientiam ad ea tempora, cùm Adolescentes nostri plus virium ac roboris nacti erunt, remittendam; utilem quidem futuram Oratori, quatenùs ex magnarum omnium rerum, atque Artium cognitione, efflorescat ac redundet oratio, necesse est,

Nec dum etiam satis inter Autores convenit de numero aut naturâ Affectuum. Alii enim appetitu solius boni; alii specie quoque mali, putant animum commoveri. Hinc, illi unicum Affectum statuunt (amorem): Hi duos (amorem & odium.) Sunt qui quatuor Affectus, sunt qui undecim, qui sexdecim, qui viginti, & qui plures, esse velint.

Verum est tamen, Affectus, quot nume-

centur, ab eâdem veluti radice, proprii amoris, pullulare, ſed variis nominibus pro varietate objectorum, diſtinguuntur. Illorum qui naturam, vim, & cauſas planè cupiet cognoſcere, adeat quæſt. Tuſc. lib. 4. à N. 11. ad 22. & Ariſt. Rhetoricæ ſecundum librum, opus Eloquentiæ ſtudioſis aſſiduè meditandum. Item qui ſcire volet, quemadmodùm unuſquiſque Affectus excitari debeat, aut ſedari, legat Cicer. de Orat. lib. 2. à N. 186. ad 217. & deinceps.

Præcipui verò Affectus, & in dicendo maximè uſitati, ſunt: amor, gaudium, ſpes, miſericordia, ira, odium, timor, pudor, invidia, indignatio.

Amor eſt animi propenſio in aliquem, cui quis bona quæ poteſt, optat & facit. Exemplum habes in tota peroratione pro Milone, à N. 92. pro Flacco N. 102. & 103. Philipp. 2. N. 118.

Gaudium eſt opinio boni præſentis, & recentis. In Piſon. N. 52. poſt reditum ad Quirit. N. 2.

Spes eſt expectatio boni abſentis, cum aliquâ ſollicitudine obtinendi. Philippica 5. N. 45. pro domo ſua N. 100. & 174. Livius Decade 3. libri 1. N. 35.

Miſericordia eſt ægritudo ex miſeria alterius injuriâ laborantis. Occurrunt exempla in omnibus propè Orationibus, maximè Verr. 7. à N. 105. ad finem.

Ira eſt libido puniendi ejus, qui videatur læſiſſe injuriâ. Pro Lege Maniliâ. N. 7. Verr. 7. N. 148.

Odium eſt ira inveterata. Plenæ ſunt hoc Affectu Accuſationes omnes in Verrem, in Catilinam; Philippicæ, exceptâ primâ. Pro Cæcinna, & in Vatin. N. 2.

Invidia eſt ægritudo ſuſcepta propter ſecundas res parium aut ſimilium, pro Quint. ubique in Nævium, maximè N. 8. in Hortenſium. Juno ubique in Æneide.

Indignatio eſt moleſtia ſuſcepta ex bono alicujus, qui eo creditur indignus. Verrin. 7. N. 82. Pro Sextio N. 17. Pro Amerino paſſim in Chryſogonum.

Timor eſt opinio mali imminentis. Pro Rege Dejotaro, N. 1. ad 6. pro Muræna, N. 85. Catilinariâ 4. N. 11.

Pudor eſt moleſtia ex malis, quæp ertinent ad offenſionem exiſtimationis. Verrin. 7. N. 95. Philippicâ 2. N. 53. Pro Lege Manil. N. 7. & 10.

Adderem de riſu, qui ad ſolvendos Affectus triſtiores, mirum, quantùm valet; & ejus ſpecies plurimæ ſunt. Conſule ac perlege Fabii lib. 6. cap. 4. Ejus habes exempla in Oratione pro Amerino adverſus Erutium, pro Murænâ adverſus Catonem, ut dictum eſt ſuprà.

Finis primæ Partis.

SECUNDA PARS RHETORICÆ.

DE DISPOSITIONE.

DISPOSITIO est rerum inventarum artificiosa in ordinem collocatio.

Dispositio duplex: altera est partium Orationis, altera Argumentorum. Verùm, de Argumentorum Dispositione dicetur, ubi ad Confirmationis præcepta ventum erit: nunc de Dispositione partium Orationis agendum est.

Partes Orationis Rhetoricæ quatuor vulgò assignantur:

Exordium.

Narratio, cui Divisio annectitur.

Confirmatio, quæ confutationem complectitur.

Peroratio.

CAPUT I.

De Exordio.

EXORDIUM est prima pars causæ, in qua scopum Orationis indicamus, & Auditoris animum præparamus.

Scopum Orationis indicamus, proponendo generatim quibus de rebus dicturi sumus.

Præparamus animum Auditoris, efficiendo ut benevolè, ut attentè, ut dociliter audiat. Quod si apertè fiat, Principium; si occultè, & subdolè, Insinuatio nominatur.

Principium adhibent Oratores in honesto causæ genere; in turpi verò, dubio, humili, & cæteris, imò cùm aut persuasus videtur ab adversariis Auditor, aut defessus audiendo, ferè usurpant Insinuationem.

Duplex igitur est Exordium, scilicet Principium, & Insinuatio, quibus addi potest tertium, quod est ex abrupto.

Fit autem exordium ex abrupto, cùm neque Proœmium, neque Insinuationem adhibemus; sed rem statim aggredimur, atque Orationem quasi impetu ordimur per exclamationem, vel expostulationem, vel commiserationem, vel repentinum lætitiæ motum, vel deprecationem. Hoc Exordii genus usur-

patur præſertim in rebus ſubitis, incredibilibus, ſtuporem moventibus, in invectivis; denique cùm Orator ad dicendum accedit aut ingenti aliquo affectu perculſus, aut affectum ſimulans ad afficiendos Auditores. Sic MUC. Scæv. coram Porſennâ orditur apud Livium N. 12. lib. 2 Decade 1..... *Romanus ſum Civis. Caium Mucium vocant. Hoſtis hoſtem occidere volui.*

SECTIO I.

De Benevolentiâ comparandâ.

BENEVOLENTIAM comparamus à perſonâ noſtrâ, à perſonâ Adverſariorum, à perſonâ Judicum, à rebus ipſis.

Quomodò Benevolentia comparetur à perſonâ noſtrâ?

A PERSONA noſtra Benevolentiam plurimis modis conciliamus, putà ſi noſtram ingenii, ac Eloquentiæ facultatem extenuemus. Cicero pro Archia Poëta..... *Si quid eſt in me ingenii, Judices, quod ſentio quàm ſit exiguum, aut ſi qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter eſſe verſatum, aut ſi hujus rei ratio aliqua ab optimarum*

rum

rum Artium ſtudiis, & diſciplinâ profecta, à quâ ego conſiteor nullum ætatis meæ tempus abhorruiſſe; earum rerum omnium, vel in primis Aulus Licinius fructum à me repetere propè ſuo jure debet.

Si modeſtè virtutem noſtram commendemus, aut merita in Remp. in privatos, in conſanguineos, affines, amicos, alienos, in quoſlibet commonſtremus. Cicero pro Flacco..... *Cùm in maximis periculis hujus Urbis, atque Imperii, graviſſimo atque acerbiſſimò Reip. caſu, ſocio atque adjutore conſiliorum, periculorumque meorum Lucio Flacco, cædem à vobis, conjugibus, liberiſque veſtris, vaſtitatem à Templis, Urbe, delubris, Italiâ, depellebam; ſperabam, Judices, honoris potiùs Lucii Flacci me adjutorem futurum, quàm miſeriarum deprecatorem.* Vide & Exordium totum 4. Catilinariæ, & pro Syllâ N. 1..... *Quamquam ex hujus incommodis*, &c.

Si ad cauſam ſuſcipiendam adduci nos fateamur officio, vel pietatis, vel amicitiæ, vel propinquitatis, vel gratiæ referendæ, vel quolibet. Cicero pro Rabirio.... *Etſi, Quirites, non eſt meæ conſuetudinis, initio dicendi rationem reddere quâ de cauſâ quemque defendam; propterea quòd cum omnibus Civibus in eorum periculis ſemper ſatis juſtam mihi cauſam neceſſitudinis eſſe duxi; tamen in hac defenſione capitis, famæ, fortu-*

narum omnium Caii Rabirii proponendi ratio videtur esse officii mei, propterea quod, quae justissima mihi causa ad hunc defendendum esse visa est; eadem vobis ad absolvendum debet videri. Nam me tùm amicitiae vetustas, tùm dignitas hominis, tùm ratio humanitatis, tùm vitae meae perpetua consuetudo, ad Caium Rabirium defendendum est adhortata: tùm verò ut id studiosissimè facerem, salus Reip. Consulare officium, Consulatus denique ipse, mihi unà vobiscum cum salute Reip. commendatus coëgit, &c. Et pro Roscio Amer. N. 4..... *Accedit illa quoque causa*, &c. Et Divinatione in Verrem, N. 5.

Si nostram ab amicis, defensoribus, auxiliis omnibus defensionis inopiam, uno verbo nostram infelicitatem, & è contrario gratiam, potentiam, felicitatem adversariorum ostendamus. Cic. pro Quintio..... *Quae res in Civitate duae plurimùm possunt, eae contra nos ambae faciunt in hoc tempore, summa gratia, & eloquentia; quarum alteram, C. Aquilli, vereor, alteram metuo; Eloquentia Quinti* Hor*tensii ne me dicendo impediat, nonnihil commoveor: gratia Sexti Naevii ne P. Quintio noceat, id verò non mediocriter pertimesco.* Ne*que hoc tantopere querendum videretur haec summa in illis esse, si in nobis essent saltem mediocria. Verùm ita se res habet, ut ego, qui*

neque usu satis, & ingenio parùm possum, cùm patrono disertissimo comparer: P. Quintius, cui tenues opes, nullæ facultates, exiguæ amicorum copiæ sunt, cum adversario gratiosissimo contendat. Illud quoque nobis accidit incommodum, &c. Pro Sylla..... *Maximè vellem*, &c.

Quomodò Benevolentiam ab Adversariorum persona comparemus?

AB Adversariorum persona triplici modo Benevolentiam conciliamus.

Primùm, adducendo eos in odium commemoratione vitiorum. Cic. pro Cæcinnâ, N. 2..... *Ac mihi quidem, cùm audax præcipuè fuisse videtur Ebutius in convocandis hominibus, & armandis; tùm impudens in judicio, non solùm quod in judicium venire ausus (nam id quidem tametsi improbe fit in aperta re; tamen malitiâ est jam usitatum) sed quod non dubitavit id ipsum quod arguitur, confiteri.* Et pro Dejotaro..... *Crudelis Castor*, &c. N. 2. Et pro Roscio Amerino N. 13.

Secundùm, adducendo eos in invidiam commemoratione potentiæ. Cic. pro Sextio N. 2.. *Nam ut omittatis de uniuscujusque casu cogitando recordari, uno aspectu intueri potestis eos qui cum Senatu, cùm bonis omnibus Remp. afflictam excitarint, & latrocinio domestico liberarint, mœstos, sordidatos, reos, de capite,*

de fama, de civitate, de fortunis, de liberis dimicantes; eos autem qui omnia divina & humana vexarint, violarint, perturbarint, everterint, non ſolùm alacres lætoſque volitare, ſed etiam voluntarios fortiſſimis atque optimis Civibus periculum moliri de ſe nihil timere. Et pro Quintio, N. 7..... *Deinde habet Adverſarium*, &c.

Tertiùm, adducendo eos in contemptum commemoratione ignaviæ, ſordium, indignitatis. Cic. in Vatinium..... *Si tua tantummodò, Vatini, quid indignitas poſtularet ſpectare voluiſſem, feciſſem id quod his vehementer placebat, ut te cujus teſtimonium, propter turpitudinem vitæ, ſordeſque domeſticas nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem. Nemo enim horum, aut ita te refutandum ut gravem Adverſarium; aut ita rogandum ut religioſum teſtem arbitrabatur. Sed fui paulò in te intemperantior fortaſſe quàm debui: odio enim tui, in quo etſi omnes propter tuum in me ſcelus ſuperare debeo; tamen ab omnibus penè vincor, ſic ſum incitatus, ut cùm te non minùs contemnerem, quàm odiſſem, tamen vexatum potiùs quàm deſpectum vellem dimittere.*

Quomodò Benevolentia comparetur ab Auditorum persona?

AB Auditorum seu Judicum personâ paratur Benevolentia, quidpiam afferendo in eorum laudem, quæ quidem in Judicibus petitur præsertim ab eorum fide, existi natione, dignitate, sinceritate, & similibus. Cicero pro Roscio Amerino, N. 11.... *Te quoque magnopere, Marce Fanni, quæso, ut qualem te jam anteà Populo Romano præbuisti, cùm huic eidem quæstioni Judex præesses, talem te, & nobis, & Populo Romano hoc tempore impertias. Quanta hominum multitudo convenerit ad hoc Judicium vides, quæ sit omnium mortalium expectatio, quæ cupiditas ut acria, ac severa Judicia fiant intelligis. Longo intervallo Judicium*, &c. In Miloniana, *Sed me recreat*, &c. Sub initium exordii. Et pro Quintio, N. 5..... *Certè aut apud te*, &c. Et Philippicâ 7. N. 1. & 2. In Rullum N. 1. 2.

BIBLIOTHEQUE ROI I

Quomodò Benevolentia comparetur rebus ipsis?

A Rebus ipsis benevolum facimus Auditorem, si causam nostram extollamus, Adversariorum deprimamus. Cic. pro Cœlio,

N. 1. *Cùm audiat nullum facinus, nullam audaciam, nullam vim in Judicium vocari, sed Adolescentem illustri ingenio, industriâ, gratiâ accusari ab ejus filio, quem ipse in Judicium vocet & vocarit; oppugnari autem hunc opibus meretriciis; Atratini illius pietatem non reprehendat, muliebrem libidinem reprimendam putet, vos laboriosos existimet, quibus otiosis ne in communi quidem otio liceat esse: Etenim si attendere diligenter, existimare verè de omni hac causa volueritis, sic constituetis Judices, nec descensurum quemquam ad hanc accusationem fuisse, cui utrùm vellet, liceret: nec cùm descendisset, quidquam habiturum spei fuisse, nisi alicujus intolerabili libidine, & nimis acerbo odio niteretur.* Et pro domo sua ad Pontifices, sub initium. Et Divinatione in Verrem, N. 5.

SECTIO II.

De Attentione conciliandâ.

ATTENTUM facimus Auditorem duplici ratione; Promissione, & Petitione.

Promissione attentionem paramus, cùm pollicemur nos dicturos de rebus gravibus, necessariis, utilibus, admirabilibus, jucundis, Cicero pro domo sua, N. 1..... *Quod si*

ullo tempore magna causa in Sacerdotum Populique Romani judicio ac potestate versata est; hæc profectò tanta est, ut omnis Reip. dignitas, omnium Civium salus, vita, libertas, aræ, foci, Dii Penates, bona, fortunæ, domicilia, vestræ sapientiæ, fidei, potestatique commissa, creditaque esse videantur. Et Divinatione in Verrem, N. 8..... *Proh Deûm, hominumque fidem!* Et quartâ in Verrem N. 6. Et Philippicâ 2. N. 10.

Petitione, si rogaverimus ut attentè audiant. Pro Dejotaro..... *Tuum est, Cæsar, qui pro multis sæpè dixisti, quid nunc mihi animi sit, ad te ipsum referre, quo facilius tùm æquitas tua, tùm audiendi diligentia, minuat hanc perturbationem meam.* N. 4. & ubique in aliis Orationibus.

SECTIO III.

Quomodò paretur docilitas?

FIT docilis Auditor propositione, quæ triplicis est generis: sejuncta, simplex, & digesta.

Sejuncta propositio est, cùm definimus, in quo cum Adversario conveniamus, & in quo pugnemus: quid sit proprium nostræ causæ, quid alienum ab ea, distinguimus

Cicero pro Milone, N. 31..... *Sin autem nemo veſtrûm ita ſentit, illud in judicium venit, non occiſus-ne ſit, quod fatemur, ſed jure-ne an injuriâ, quod multis antea in cauſis quæſitum eſt.*

Simplex propoſitio eſt, cùm unum aliquid ſimpliciter proponitur. Cicero eâdem Orat. ..... *Numquid igitur aliud in judicium venit, niſi uter utri inſidias fecerit? nihil profectò.*

Digeſta propoſitio eſt, cùm per enumerationem, quæ, & quibus de rebus dicturi ſumus, oſtendimus; quæ & partitio, & diviſio ſeu diſtributio appellatur. Cicero pro Roſcio. ..... *Tres ſunt res de quibus me dicere arbitror*, &c. Et pro Lege Manilia, N. 6.... *Primùm igitur mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tùm de Imperatore deligendo eſſe dicendum.* Et Philippicâ 7..... *Cur pacem nolo? quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt.* Et pro Cluentio, N. 160.

SECTIO IV.

Utrùm ubique ſit utendum hiſce Muneribus Exordii.

ADVERTE tria hæc Munera Exordii, nec ſemper ab Oratore ſimul om-

nia præſtari, nec præſtanda eſſe; eſt enim ubi non eget benevolentiâ conciliatâ, ut in genere cauſæ honeſto: verbi causâ, ſi pro parente optimo dicat, illam enim res ipſa conciliat; non itidem in genere turpi; ut ſi dicat pro parricida, quia tunc alienati Auditorum animi deliniendi ſunt, & conciliandi adversùs reum.

Eſt etiam cùm ratio comparandæ attentionis omittitur; quando per ſe ſcilicet attendunt Auditores, quod evenit maximè in deliberationibus, & in cauſis naturâ ſuâ gravitatem, novitatem, admirabilitatem habentibus; non itidem in humilibus, aut levibus, aut cùm defeſſus audiendo Judex, qui tunc erigendus eſt, atque excitandus Oratoris induſtriâ.

Eſt denique, cùm docilitas minimè quærenda eſt; ut in argumento manifeſto, & expedito, non itidem in obſcuro, ubi tenebræ diſcutiendæ, difficultates removendæ, atque omnis cauſæ ratio explicanda, & aperienda.

Quod ſi habebit cauſa turpitudinem, cum humilitate & obſcuritate, vel cum alterutrâ conjunctam, tùm verò locus erit vel omnibus unà, vel pluribus duntaxat Exordii machinis admovendis.

SECTIO V.

De Vitiis Exordiorum.

DE vitiis Exordiorum plura vulgò disserunt; quibus quidem dignoscendis, ac vitandis, cùm plus arte valeat prudentia, idcirco relinquimus Oratori judicandum, quid, quibus personis, temporibus, locis, ad exordiendum conveniat. Summatim tamen vitiosa esse dicimus Exordia.

Longa, quæ monstrosam reddunt Orationem, & fatigant Auditorem.

Vulgaria, quæ ad plures causas accommodari possunt.

Communia, quibus Adversarii quoque uti possunt.

Commutabilia, quæ leviter immutata potest quoque Adversarius usurpare.

Separata, quæ nihil ad causam attinent.

Conquisita nimis, & magnifica, quibus plus Orator pollicetur, quàm præstare posse videatur.

Arrogantia, & tumida, quæ animum Auditoris alienant.

CAPUT II.

De Narratione.

SECTIO I.

Quid sit Narratio, & quotuplex?

NARRATIO est rerum gestarum utilis ad persuadendum expositio. Est autem hæc pars quasi sedes Argumentorum, ac totius causæ veluti seminarium.

Narratio duplex.

Continua, cùm uno filio, ac tenore, nulla vel Argumentorum, vel figurarum interjectione, rem, ut gesta est, exponimus: cujusmodi est illa Ciceronis in Oratione pro Ligario, & pro Lege Manilia.

Intercisa, cùm abrumpitur argumentandi, ornandi, amplificandi causâ, ut in Oratione pro Cluentio; in qua ubi plurima Cic. enarravit, hanc exclamationem, rei exaggerandæ causâ interserit..... *O mulieris scelus incredibile, & præter hanc unam in omni vita inauditum*, &c. Hinc reliquam Narrationem persequitur..... *Tulit hoc commune dedecus*, &c.

Est etiam cùm singulæ Narrationis partes abrumpuntur, suâ statim adjunctâ probatione, vel exornatione, ut in genere demonstrativo, cujus confirmatio nihil penè aliud est, quàm Narratio quædam per amplificationes intercisa; & in genere judiciali, cùm ex arte res gestæ distrahendæ sunt, & per partes exponendæ, ut vel singulis objectionibus respondeatur, vel singulæ res, quæ invidiam Adversario conflare possunt, sæpiùs offerantur Judicibus, ac proinde illos concitent identidem, ut eidem irascantur.

SECTIO II.

De virtutibus Narrationis.

TRES sunt Narrationis virtutes: Perspicuitas, Probabilitas, Brevitas.

Perspicuitatem assequitur, qui propriis ac usitatis verbis loquitur; qui ordine, ac distinctè narrat, usitatis ambiguitatibus, circumlocutionibus, & hyperbatis.

Probabilitatem, qui rem personis, locis, temporibus, & causis, uno verbo, circumstantiis omnibus convenienter exponit.

Brevitatem, qui neque rem altiùs repetit, neque ulteriùs protrahit, quàm necesse est, neque interserit superflua, & inania.

Addunt vulgò ſuavitatem, quam pariunt novæ res, magnæ, inexpectatæ, admirabiles, mores, dolores, metus, ſuſpiciones, deſideria, lætitia, diſſimulationes, ſollicitudines, quæ omnia mirificè variant Narrationem, adeóque venuſtam, & ſuavem efficiunt. Sed hæc plus multò eluceſcent ab exemplis, quæ conſules apud Cic. lib. 2. de Inventione N. 4. lib. 3. de Off. N. 58. Verrinâ 2. N. 67. & Verrinâ 4. quæ Oratio penè continua Narratio eſt, atque omnibus numeris abſoluta.

SECTIO III.

Quando utendum Narratione?

OMITTITUR nonnunquam ab Oratore Narratio, idque tribus maximè temporibus.

Cùm nihil profutura eſt.

Cùm res geſtæ ita notæ ſunt Auditoribus, ut ab Adverſario nequeant aliter enarrari.

Cùm jam narravit eo modo, quo eſſemus narraturi.

Denique nec in demonſtrativo genere locum habet Narratio niſi perrarò, quod, ut ſuprà diximus, tota demonſtratio perpetua quædam ſit Narratio; nec in deliberativo,

quod in hoc totum de rebus futuris negotium ſit, & qui accedunt ad deliberandum, rem ſciant, de quâ ſunt conſultaturi, ac dicturi ſententiam: niſi quando quædam extrà ipſam deliberationem, ad eam tamen pertinentia commemorantur.

Narrationem vulgò ſequitur propoſitio, de quâ in præceptis Exordii, ubi de comparandâ docilitate diximus.

CAPUT III.

De Confirmatione.

CONFIRMATIO eſt ea pars Orationis, quæ cauſæ probationem continet. Duæ ſunt Confirmationis partes, ea nimirùm quæ propriè Confirmatio dicitur, in qua id, quod contendimus, argumentando conficimus; & Confutatio, in qua noſtrorum adverſariorum argumenta deſtruimus. Præcedit ut plurimùm Refutationem Confirmatio, maximè cùm quis priori loco dicit. Secùs ferè hæc illam conſequitur, ut in Oratione pro Milone Cicero præmittit Confutationem, ad quam ſtatim ab Exordio ſic tranſit.... *Sed antequàm ad eam Orationem venio, quæ eſt propria noſtræ quæſtionis, videntur ea eſſe re-*

futanda, quæ in Senatu sæpè ab inimicis, ab improbis sæpè jactata sunt. Atque idem usurpat Orationibus pro Cœlio, pro Sylla, pro Murænâ, in quibus Confutatio præcedit Confirmationem.

Fiunt autem Confirmatio, & Confutatio per argumenta, seu locos de quibus suprà: sed & horum est aliqua dispositio, quam observari ab Oratore oporteat.

SECTIO I.

De Argumentis, & eorum dispositione.

ARGUMENTUM est ratio quâ probamus rem propositam. Negat Cicero Milonem insidias Clodio posuisse, & hanc affert rationem, quia causas non habuit quare insidiari vellet.

Porrò Argumentorum collocandorum is ordo tenendus est, ut leviora in mediam Orationem congerantur: graviora partim ipso in principio afferantur, quia tunc maximè se attentum præbet Auditor; partim etiam in finem reserventur, quia magis inhærent quæ postremò audita sunt. Quod si duo duntaxat suppetunt Argumenta, quorum alterum altero plus valeat, præponemus validius infirmiori; atque hoc postquàm exposuerimus, rursùm ad illud recurremus.

SECTIO II.

De Argumentatione. Quid ſit, & quotuplex?

ARGUMENTATIO eſt argumenti explicatio, hoc eſt Argumentum ſeu ratio cum ſua concluſione. Milo cauſas inſidiandi non habuit, eſt hæc ratio quâ probatur Milonem inſidiatorem non fuiſſe: ergo non eſt inſidiatus, hæc addita rationi concluſio.

Species Argumentationis præcipuæ ſunt: Syllogiſmus, Enthymema, Inductio, Exemplum.

Syllogiſmus eſt certa ratio unum ex alio inferendi, conſtans tribus pronunciatis, quorum poſtremum è duobus prioribus conſequitur.

Primum pronunciatum, Propoſitio major, aliàs Propoſitio ſimpliciter, aut Major appellatur.

Secundum, Propoſitio minor, aut ſimpliciter Minor, aut Aſſumptio dicitur.

Tertium eſt Complexio ſeu Concluſio.

Eſto exemplum..... *Qui virtute militari cæteris præſtat, bello præficiendus eſt* (habes Propoſitionem.) *Sed Pompeius virtute militari cæteris præſtat* (eſt hæc Aſſumptio.) *Ergo Pompeius eſt bello præficiendus* (habes Concluſionem.)

Nec

Nec ubique tamen ab Oratore ille ordo Propositionum observatur. Imò sic invertitur aliquando, ut à Conclusione ad Assumptionem & Propositionem accedat: nonnunquam etiam ab Assumptione ad reliquas. Ut est in Miloniana..... *Quonam igitur pacto* &c. N. 32. Et pro Cœlio..... *Ut verò in Marco Cœlio*, &c. N. 44. Et pro Archia in Exordio.

Enthymema est imperfectus Syllogismus, in quo vel Propositio, vel Assumptio reticetur, quia sunt manifestiores; ut, *Pompeius virtute militari cæteris præstat: ergo Pompeius bello est præficiendus.* Hîc Propositio reticetur.

Portò Enthymema pari modo, atque Syllogismus, inverti potest, ita ut Conclusio præponatur Assumptioni, aut Propositioni; ut, *Pompeius bello præficiendus est, quia virtute militari cæteris præstat.*

Inductio est, cùm ex plurium singularium enumeratione, aliquid propter similitudinem infertur: ut..... *Neque Ahala, neque Nasica, neque Opimius, neque Marius continuò habiti sunt nefarii, quòd hominem occidissent: ergo nec Milo habendus est, quòd Clodium occîdit.*

Exemplum est inductio imperfecta, cùm unum quid ex altero singulari colligitur ob similitudinem, ut, *Jure Nasica interfecit Grac-*

chum ut seditiosum: ergo jure Clodium occîdit Milo.

Et hæc dicta sint de Argumentatione, quâ valet ad probandum; jam quâ ciendis affectibus idonea est, Amplificatio nominatur, quam in Elocutione contineri Orator dicit: Quocirca nos hanc partem hîc leviter attingemus, pleniùs aliàs dicturi.

SECTIO III.

De Amplificatione. Quid sit, & quot modis fiat.

AMPLIFICATIO est gravior quædam affirmatio ad permovendos affectus idonea.

Amplificant Oratores, aut verbis, aut rebus. Adhibentur ad amplificandum verba.

Illustria, cujusmodi hæc pro Lege Manilia N. 6. ... *Agitur Populi Rom. gloria, quæ vobis à majoribus cùm magna in rebus omnibus, tùm summa in re militari tradita est: agitur sociorum salus, atque amicorum, pro qua multa Majores nostri magna, & gravia bella gesserunt; aguntur certissima Populi Romani vectigalia & maxima: quibus amissis & pacis ornamenta, & subsidia belli frustrà requiretis.*

Gravia, ut pro Milone.... *Præmiorum amplissimorum gloria, quæ brevitatem vitæ posteritatis memoria consolatur.*

Plena, ut eâdem Oratione..... *De me ſemper Populus Romanus, ſemper omnes gentes loquentur, nulla unquam obmuteſcet vetuſtas.*

Sonantia, ut eâdem Oratione.... *Polluerat ſtupro ſanctiſſimas Religiones, Senatûs graviſſima decreta perfregerat.*

Compoſita, ut.... *Contrucidare, perhorreſcere, excruciare.*

Tranſlata, ut eâdem Oratione.... *Equidem cæteras tempeſtates, & procellas in iis duntaxat fluctibus concionum ſemper putavi Miloni eſſe ſubeundas.*

Superlata, ut pro Marcello.... *Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas.*

Aſyndeta, ut.... *Me patriâ expulerat, bona diripuerat, domum meam incenderat, conjugem, ac liberos meos vexarat, Populo Romano bellum nefarium indixerat.*

Repetita, ut. *Crux, Crux, inquam, infelici ac ærumnoſo parabatur. Et valeant, inquit, valeant cives mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati.*

Relata, ut pro Milone... *Omnis mihi ratio eſt cum virtute, non cum deſidia, cum dignitate, non cum voluptate.*

Synonyma, ut.... *Exceſſit, evaſit, erupit. .... expelletur, exterminabitur, ejicietur.*

Gradatim aſſurgentia, ut..... *Contemni ſe putant, deſpici, illudi.... Miſerum, crudele, horrendum ſpectaculum eſt objectum.*

SECTIO IV.

Quomodo amplificetur rebus?

REBUS amplificatur, cùm per locos, & figuras, exornatur, & augetur Oratio.

Per locos quidem, ut cùm adhibentur Definitiones conglobatæ, quas vocant, hoc eſt, cùm unius ejuſdemque rei variæ definitiones accumulantur. Cicero pro Milone... *Quid luctuoſius vidimus? Templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici; caput urbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab univerſo Pop. Rom. conceſſam huic Ordini, inflammari, exſcindi, funeſtari.* Et pro domo ſuâ.... *Quid Sergius? armiger Catilinæ, ſtipator ſui corporis, ſignifer ſeditionis, concitator Tabernariorum, damnatus injuriarum, fori depopulator, percuſſor, lapidator, obſeſſor Curiæ.* Vide in Oratione pro Cæcinnâ N. 77. & ſequentibus definitionem viri boni per congeriem. Et 2. Agr. N. 8. *Conſulis popularis* &c.

Cauſæ conglobatæ. Cicero pro Sextio varias cauſas accumulat, ob quas cedere maluerit, quàm reſiſtere.... *Cùm in hanc Reipublicæ navem ereptis Senatui gubernaculis, fluitantem in alto tempeſtatibus ſeditionum, ac*

discordiarum armatæ tot classes, nisi ego unus deditus essem, incursuræ viderentur, cùm proscriptio, cædes, direptio denuntiarentur, Italiæ, cùm alii me suspicione periculi sui non defenderent, alii vetere odio bonorum incitarentur, alii inviderent, alii obstare sibi me arbitrarentur, alii ulcisci dolorem suum aliquem vellent; alii rem ipsam publicam atque hunc bonorum statum, otiumque odissent, & ob hasce causas tot, tamque varias me unum deposcerent; depugnarem potiùs cum summo non dicam exitio, sed periculo certè vestro, liberorumque vestrorum, quàm non id quod omnibus impendebat, unus pro omnibus susciperem ac subirem? Idem Oratione pro Milone N. 73. causas complures congerit, quare Clodius tametsi non fuisset insidiator, jure cæsus videri possit.

Effecta conglobata. Cicero pro Muræna conglobat effecta virtutis militaris.... *Hæc nomen Pop. Rom. hæc huic urbi æternam gloriam peperit; hæc orbem terrarum parere huic imperio coëgit: omnes urbanæ res, omnia hæc nostra præclara studia, & hæc forensis laus, & industria latent in tutela & præsidio bellicæ virtutis.* Idem lib. 2 de Oratore Num. 3. & sequentibus, Eloquentiam commendat ab effectis. Idem lib. de Senectute, quas afferat matura ætas utilitates, ab effectis ostendit.

Similitudines conglobatæ. Cicero Verrinâ 7. N. 145 *Non Charybdim tam infestam, neque Scyllam nautis, quàm istum in eodem freto fuisse arbitror. Cyclops alter multò importunior, &c.* Et paulò superiùs...... *Versabatur in Sicilia longo intervallo, alter non Dionysius, ille nec Phalaris*, &c.

Dissimilitudines conglobatæ. Cicero Philippicâ 2. Varroni, atque Antonio dissimilem usum fuisse Pompeianar. Ædium ostendit N. 104. & 105. *Marcus Varro voluit esse illud studiorum suorum, non libidinum diversorium. Quæ in illa villa ante dicebantur? quæ cogitabantur? quæ litteris mandabantur? jura Pop. Rom. monumenta Majorum, omnis sapientiæ ratio, omnisque doctrinæ. At verò te inquilino (non enim Domino) personabant omnia vocibus ebriosorum, natabant pavimenta vino, madebant parietes, &c.*

Exempla conglobata. Cicero pro Milone, N. 83..... *Vteretur eâdem confessione Titus Annius, quâ Ahala, quâ Nasica, quâ Opimius, quâ Marius, quâ vosmet ipsi.* Et pro Archia N. 19.... *Homerum Colophonii Civem suum esse dicunt, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnæi verò suum esse confirmant.*

Contraria conglobata. Cicero pro Milone, N. 19. *Est enim hæc Judicis non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus,*

legimus; verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus ut &c. Et 2 Catilinariâ..... *Hoc verò quis ferre possit, inertes homines, fortissimis insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus?*

Repugnantia conglobata. Cic. pro Roscio Comœdo. N. 19. *Quâ in re mihi ridiculè es visus esse inconstans, qui eumdem & læderes, & laudares, & virum optimum, & hominem improbissimum esse diceres; eumdem tu ex honoris causa appellabas, & virum primarium esse dicebas, & socium fraudasse arguebas.*

Consequentia conglobata. Cicero lib 3. de Oratore. N. 8. *Fuit hoc luctuosum suis, acerbum patriæ, grave bonis omnibus; sed hi tamen Rempubl. casus sequuti sunt, ut mihi non erepta Lucio Crasso à Diis immortalibus vita, sed donata mors esse videatur. Non vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem invidiâ Senatum, non sceleris Principes civitatis reos, non luctum filiæ, non exilium generi, non acerbissimam Caii Marii fugam, non illam post ejus reditum cædem omnium crudelissimam, non denique in omni genere deformatam eam civitatem, in quâ ipse florentissima multùm omnibus gloria præstitisset.* Et pro Flacco N. 99. & pro Muræna, N. 85.

Adjuncta conglobata. Cic. Philippicâ 2. N. 63.... *Sed hæc quæ robustioris improbitatis sunt, omittamus: loquamur potius de iniquissimo genere levitatis: tu, istis faucibus, istis lateribus, istâ gladiatoriâ totius corporis firmitate, tantùm vini hauseras, ut tibi necesse esset in conspectu Populi Romani vomere postridie. O rem non modò visu fœdam, sed etiam auditu! Si inter cœnam, in tuis immanibus poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? in cœtu verò Populi Romani negotium publicum gerens, Magister Equitum, cui ructare turpe esset, hic vomens frustis esculentis vinum redolentibus, gremium suum, & totum Tribunal implevit.* Et N. 104. & pro Sylla N. 74.

SECTIO V.

Quibus figuris amplificetur?

FIGURIS longè graviùs amplificatur, ac præsertim:

Congerie, quæ est rerum multiplicium coacervatio, seu enumeratio pressa. Cicero Catilinariâ 3. N. 16.... *Omnia norat, omnium aditus tenebat; appellare, tentare, sollicitare poterat, audebat: erat ei consilium ad facinus aptum: consilio autem, neque lingua,*

neque manus deerat. Jam ad cæteras res conficiendas certos homines delectos, ac descriptos habebat. Neque verò cùm aliquid mandaverat, confectum putabat. Nihil erat quod non ipse obiret, occurreret, vigilaret, laboraret, frigus, sitim, famem ferre poterat. Et pro Lege Manilia, N. 28. *Quod denique belli genus esse potest, in quo &c.* Et pro Mil. N. 87. *Dura mihi, medius fidius, jam fortuna Pop. Rom.* Vide & in Pisonem N. 1. & 47. & 53. & pro Ligario N. 9.

Incremento cum per gradus ab infimis ad summa procedimus. Cicero pro Quintio in Peroratione N. 95. *Miserum est*, &c. Vide in figuris sententiarum, & Philippicâ 2. N. 65. Actione 5. in Verrem N. 88. Actione 7. in eumdem N. 116, & pro Quintio N. 18.

Hypotyposi. Catilin. 4. N. 11..... *Videor mihi videre hanc urbem, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, subito uno incendio concidentem. Cerno animo sepultâ in patriâ miseros, atque insepultos acervos Civium. Versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi, & furor in vestra cæde bacchantis. Cùm verò mihi proposui regnantem Lentulum, sicut ipse se ex fatis sperare confessus est, purpuratum hunc esse Gabinium, cum exercitu venisse Catilinam, tùm fugam virginum, atque puerorum, ac vexationem Virginum Vestalium perhorresco; & quia mihi*, &c. pro Sextio N. 79.

Denique Prosopopœia, Apostrophe, Exclamatione, Interrogatione, & cæteris, de quibus in figuris dicemus.

Fiunt etiam amplificationes longè gravissimæ, ex figurarum & locorum permixtione, quarum exempla repetes ex omnibus Oratoribus passim.

CAPUT IV.

De Confutatione. Quid sit Confutatio, & quomodò fiat?

CONFUTATIO est pars altera Confirmationis, in quâ rationes omnes Adversarii dissolvuntur. Fit autem illa variis modis.

Primò, planè inficiando quod vult Adversarius consequi ex eo quod affertur ad probandum: verbi causâ, accusatur mater, quòd filiam veneno sustulerit. Defendit se, vimque affert materni amoris, pro firmamento defensionis. Negat id valere Accusator, & apponit Medeæ, atque aliarum exemplum.

Secundò, argumentum retorquendo in Adversarium, ut si quis hoc modo quem arguat; *occidisti, quia occiso astitisti*; is respondeat, *imò quia occiso astiti, idcircò non*

interfeci ; si enim occidissem, me in fugam conjecissem.

Tertiò, per contemptum, significando nos Adversariorum accusatione haud multùm commoveri, upote futili, aut inani. Quod Cicero usurpat in Oratione pro Cœlio, ubi non vera crimina, sed querelas amantium, eam esse accusationem contendit.

Quartò, abducendo Judicem à consideratione criminis, & pollicendo nos posteà de ipsâ re dicturos.

Quintò denique, jocis, irrisione, ironiâ, increpatione, interrogatione, subjectione, & cæteris ejusmodi, quibus mirâ dexteritate utitur passim Tullius, quo rem aliò detorqueat, ac decipiat Auditorem.

Porrò in disponendis confutationis capitibus, eadem penè ratio, atque in confirmatione, observabitur, ut pro temporum, atque argumenti varietate videat Orator, quid post, quid ante collocandum, & quo modo proponendum. Repetes illustrium confutationum exempla ex Tullio, pro Rosc. pro Mil. Cœlio, Plancio, & in Pisonem.

Denique Prosopopœia, Apostrophe, Exclamatione, Interrogatione, & cæteris, de quibus in figuris dicemus.

Fiunt etiam amplificationes longè gravissimæ, ex figurarum & locorum permixtione, quarum exempla repetes ex omnibus Oratoribus passim.

CAPUT IV.

De Confutatione. Quid sit Confutatio, & quomodò fiat?

CONFUTATIO est pars altera Confirmationis, in quâ rationes omnes Adversarii dissolvuntur. Fit autem illa variis modis.

Primò, planè inficiando quod vult Adversarius consequi ex eo quod affertur ad probandum: verbi causâ, accusatur mater, quòd filiam veneno sustulerit. Defendit se, vimque affert materni amoris, pro firmamento defensionis. Negat id valere Accusator, & apponit Medeæ, atque aliarum exemplum.

Secundò, argumentum retorquendo in Adversarium, ut si quis hoc modo quem arguat; *occidisti, quia occiso astitisti*; is respondeat, *imò quia occiso astiti, idcircò non*

interfeci; si enim occidissem, me in fugam conjecissem.

Tertiò, per contemptum, significando nos Adversariorum accusatione haud multùm commoveri, upote futili, aut inani. Quod Cicero usurpat in Oratione pro Cœlio, ubi non vera crimina, sed querelas amantium, eam esse accusationem contendit.

Quartò, abducendo Judicem à consideratione criminis, & pollicendo nos posteà de ipsâ re dicturos.

Quintò denique, jocis, irrisione, ironiâ, increpatione, interrogatione, subjectione, & cæteris ejusmodi, quibus mirâ dexteritate utitur passim Tullius, quo rem aliò detorqueat, ac decipiat Auditorem.

Porrò in disponendis confutationis capitibus, eadem penè ratio, atque in confirmatione, observabitur, ut pro temporum, atque argumenti varietate videat Orator, quid post, quid ante collocandum, & quo modo proponendum. Repetes illustrium confutationum exempla ex Tullio, pro Rosc. pro Mil. Cœlio, Plancio, & in Pisonem.

CAPUT V.

De Peroratione, seu Epilogo. Quid sit, & quibus modis fiat?

EPILOGUS est artificiosus orationis exitus.

Munus ipsius duplex; argumenta præcipua resumere, & affectus concitare.

In resumendis argumentis id observandum, ut ea tantùm repetantur, in quibus maximè causa nititur, atque iis prætereà pondus quoddam addatur, ex gravitate sententiarum, & figurarum ornatu. Habes exempla repetitionis, seu enumerationis hujusmodi, apud Ciceronem in Epilogis Orationum pro Lege Manilia, pro Cluentio, & cæteris passim.

De concitandis affectibus jam anteà diximus. Illud obiter advertendum valere affectus alios in aliis dicendi generibus; nam in laudatione potissimùm excitantur, gratulatio, admiratio, æmulatio, gaudium; in vituperatione, odium, invidia, contemptus: in deliberatione, spes, metus, desiderium.

In judiciis penè omnes unà concurrunt, amor, odium, invidia, indignatio, commiseratio, quos quidem affectus facillimè commovebit Orator, si priùs induerit ipse eos,

ut non ſolùm judicem incendere, ſed & ipſe ardere videatur.

Epilogi virtutes duæ, brevitas, & acrimonia: hæc infigendis, ac relinquendis in animis Auditorum aculeis; iſta urgendis ad ſententiam ferendam Judicibus, ne morâ elangueant affectus, ac refrigeſcant. Conſule Ciceronem omnibus omnium Orationum Epilogis.

Finis ſecundæ Partis.

TERTIA PARS RHETORICÆ.

DE ELOCUTIONE.

ELOCUTIO est rerum inventarum, & in ordinem dispositarum, cùm verbis idoneis, tùm sententiis aptis expositio. Elocutionem tria perficiunt; Elegantia, Compositio, Dignitas.

CAPUT I.

De Elegantia.

ELEGANTIAM assecutus est, qui purè, ac perspicuè dicit.

Puritatis amans fugiet obsoleta vocabula; vetera, peregrina, rara, sordida, novata; poëticâ, & historicâ Phrasi ex toto abstinebit. Ut paucis dicam, totum se ad Autorum benè Latinorum exemplar conformabit: hi sunt, Cicero, Cæsar, Livius, Velleius, Sa-

lustius, Varro, Vitruvius, Pomponius, Columella, Virgilius, Horatius, Terentius, Plautus, Lucretius, Catullus, Tibullus, Propertius, Ovidius; & qui ad hos proximi accedunt paucissimi, feliciori Eloquentiæ Romanæ seculo nati.

Perspicuam Orationem faciunt verba usitata, & propria; obscurant pressa nimiùm, aut fusa: item variè seu ambiguè significantia.

CAPUT II.

De Compositione.

IN Compositione juncturam & ordinem considerabimus.

Junctura desiderat, ut litteræ & syllabæ sic inter se connectantur, ut suo concursu nihil dissonum reddant; sed lenem, suavem ac sonoram orationem efficiant. Est hoc asperum quod affert exemplum hujus rei Cic. in Rhetoricis.... *Propter est spelunca quædam conversa ad Aquilonem; infinita altitudine.* Contrà, lene hoc est Virgilii:

Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi.

Ubi elisiones nullæ, consonantium aut vocalium asperarum conflictus nullus.

Requirit ordo, ut graviora subjiciamus levioribus, priora posterioribus præponamus; atque ità gradatim progrediamur, ut habet Cic. Philippicâ 2.... *Tu istis faucibus, istis lateribus, istâ gladiatoriâ totius corporis firmitate, tantùm vini hauseras, ut tibi necesse esset in conspectu Pop. Rom. vomere postridie.*

Sed ista compositio tam est Poëtæ & Historici, quàm Oratoris propria. Agnoscit Orator aliam compositionem sibi peculiarem, quæ est membrorum Orationis inter se coaptatio, ex qua existit Periodus, & Numerus. De Periodo diximus primâ parte capite secundo.

Numerus est alius poëticus, qui ubique servatur æqualiter, & hunc Græci μετρὸν appellant; alius oratorius, Græcis ῥυθμὸς constans vocum dimensione brevium aut longiorum, unde sonus existit auribus non injucundus, ut ex hac periodi clausula.... *esse videatur.* Et hujus.... *temeritas filii comprobavit.* Et cæterarum ejusmodi.

Porrò de vario delectu pedum, & syllabarum dimensione facimus iis disserendi copiam, quibus licet per otium rebus minutissimis immorari, neque enim præceptis locum esse arbitrer, ubi multò plus exemplo, atque exercitatione proficiatur.

CAPUT

CAPUT III.

De Dignitate.

FRUSTRA puritatem, perſpicuitatem, ordinem & numerum aſciveris orationi, niſi & ſua dignitas accedat, quæ quod Imperatori Majeſtas, id ſermoni conciliat ſpeciem quamdam amore, atque admiratione dignam.

Dignitatem aſtruunt Elocutioni Tropi, quos appellat Cicero verba modificata, & figuræ quæ lumina verborum, & ſententiarum vocantur ab eodem.

SECTIO I.

De Tropis.

TROPUS eſt verbi vel ſermonis à propriâ ſignificatione in alienam cum virtute immutatio, & hôc Tropi diſcrepant à Figuris, quòd illi ſemper invertant ſignificationem; at non item & Figuræ.

Tropi quatuor principes numerantur; Metaphora, Metonymia, Synecdoche, Ironia.

ARTICULUS I.

De Metaphora.

METAPHORA, Latinis translatio, seu transmutatio, Tropus est quo voces à primaria, & propria significatione in aliam propter similitudinem deflectuntur. Hoc autem genere Tropi, si Tullio credimus, nullum est præstantius, aut quod plus afferat luminis Orationi. Sic dicimus gemmare vites, ridere prata: sic cum Cicerone Virgilius vocat duo fulmina belli Scipiadas, & Martialis Romam Metaphoricè appellat Deam. Terrarum Dea Gentiumque Roma.

De speciebus Metaphoræ.

METAPHORA quatuor habet species, nempe Allegoriam, Catachresim, Hyperbolen, Emphasim.

Allegoria est Metaphora verbis, aut sententiis continuata. Cic. pro Quintio N. 8. *Ita fit ut ego qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam, tùm id facere cogar, cùm telum adversarius nullum jecerit, illis autem id tempus impugnandi detur, cùm & vitandi*

illorum impetus poteſtas adempta nobis erit; & ſi qua in re, quod parati ſunt facere, venenatum aliquod telum jecerint, medicinæ faciendæ locus non erit. Vide amplas, & elegantes alias Oratione in Piſonem N. 2. pro Muræna N. 4. pro Milone N. 5. pro Cœlio N. 75.

Species Allegoriæ ſunt:

Fabula, quæ eſt oratio ficta, repræſentans veritatem: quales edidit Eſopus ille, à quo hanc mutuatus eſt Horatius lib. 1. Epiſtolarum Epiſt. 7. v. 28.

Fortè per anguſtam tenuis vulpecula rimam
Repſerat in cumeram frumenti, paſtaque rurſus
Ire foras pleno tendebat corpore: contrà
Cui Muſtela procul: ſi vis, ait, effugere iſtinc,
Macra cavum repetes arctum, quem macra ſubiſti.

Ænigma, quod eſt Allegoria obſcurior, quale eſt illud Virgilii.

Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Tres pateat cœli ſpatium non ampliùs ulnas.

Sed hic Tropus Oratoribus parùm familiaris, ut pote ab obſcuritate refugientibus, quaſi à ſcopulo periculoſo.

Adagium ſeu Proverbium, quòd Græci παροιμίαν vocant. Eſt autem vulgatum maximè pronunciatum de rebus fugiendis aut ſequendis. Cicero.... *Amicorum omnia ſunt communia.* Virgilius....

——*Adeo in teneris aſſueſcere multum eſt.*

Et ſexcenta id genus quæ occurrunt paſſim, cum delectu nihilominùs, & cautione adhibenda.

Catachreſis ſeu abuſio eſt Metaphora duriuſcula, & paulò audacior, ſic ut voce abuti videamur, ut cùm dixit Cic. ædificare Rempublicam, claſſem, hortos. Virgilius audaciùs multò,

Inſtar montis Equum divinâ Palladis arte
Ædificant.

Et alio loco:

——— ——— *Geminique minantur*
In cælum ſcopuli, &c.

Hyperbole ſive excesſus eſt Metaphora, quâ rem ſuprà modum augemus. Cic.... *Ex ore Neſtoris melle dulcior fluebat oratio.....*
Virgil. de Camilla.

Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset Aristas:
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Idem Cic. de Antonio Philip. 2. N. 67.. *Quæ Charybdis tam vorax? Charybdim dico; quæ si fuit, fuit animal unum. Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam citò absorbere potuisse.* In Pisonianâ de suo ipsius reditu sic loquitur hyperbolicè N. 52...... *Vnus ille dies mihi quidem instar immortalitatis fuit, cùm in patriam veni, cùm Senatum egressum vidi, populumque Rom. universum. Cùm mihi ipsa Roma propè sedibus convulsa ad complectendum conservatorem suum procedere visa est, quæ me ita accepit, ut etiam mœnia ipsa viderentur, ac tecta urbis, ac templa lætari.* Septimâ in Verrem N. 144, & in Rullum N. 35. pro Roscio Comœdo N. 20. pro Flacco N. 41.

Adverte tamen leniri ferè orationem hyperbolicam his particulis, instar, propè, quasi, ut ita loquar, & cæteris hujusmodi, ne tumidiùs assurgat.

Emphasis seu efficacia est, cùm adhibetur vocabulum singularem vim habens. Cicero lib. 1. de Oratore.... *Si telum manu fugit.* Emphasis est in verbo, fugit, quo significatur

esse imprudentiâ emissum. Dido apud Virgiliũ.

——— ——— *proh! Jupiter, ibit*
Hic, ait, & nostris illuserit advena regnis.

Nota Emphasim in pronomine, hic, quasi diceret, hic ingratus, hic perfidus, hic &c.

ARTICULUS II.

De Metonymia.

METONYMIA, quam sic reddit Quintilianus, nominis pro nomine positio, tropus est quo causa ponitur pro effectu, aut effectus vicissim pro causa, subjectum pro adjuncto: & è contrario: ita pro variis causarum generibus multiplex erit Metonymia.

Causæ efficientis, cùm inventor, author, seu effector pro re inventâ, & effectâ ponitur. Cicero pro Marcello Num. 17... *Quos amisimus Cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ*, ubi Mars pro bello usurpatur, cujus author habetur & effector. Virgilius lib. 1. Æneid. v. 181....

Tùm Cererem corruptam undis, Cerealiaque arma
Expediunt.

Per Cererem intelligit panem, cujus conficiendi Ceres inventrix fertur.

Metonymia causæ materialis fit, cùm ipsa materia pro eo ipso ponitur, quod ex materiâ conflatum est. Cicero Verrinâ 6.... *Cùm essent triclinia strata, argentumque expositum in ædibus.* Ubi argentum pro argentea supellectili sumitur. Virgilius lib. 1. Æneid. v. 743....

——————— *Pleno se proluit auro.*

quo loco aurum usurpatur pro patera aurea.

Metonymia causæ finalis est, cùm finis ipse ponitur, pro eo quod ad finem ordinatur. Virgilius nono Æneid. v. 166....

——————— *Noctem custodia ducit*
Insomnem ludo.

ubi custodia pro vigilibus; quorum quidem is in vigilando finis est, ut castra aut muros custodiant.

Effecti Metonymia dicitur, cùm effectus pro sua causa ponitur. Cicero in Milonianâ. .... *Si mors publii Clodii salus vestra fuerit*, id est, salutis causa. Et in illo Virgilii:
Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus.
Ubi pallentes morbi, quia pallidos efficiunt: tristis senectus, quia tristitiam invehit; vel

pro cauſa materiali, ut in illo ejuſdem....

Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.

Ubi ſerta pro floribus, qui ſunt materia ſertorum.

Subjecti Metonymiam vocant, cùm eam rem quæ recipit, aut ſuſtinet, ſumimus pro ea quæ recipitur, aut ſuſtinetur. Ut ſi continens pro contento, poſſeſſorem pro re poſſeſſa nominemus. Cic. in Verrem.... *Sicilia tota, ſi unâ voce loqueretur, hoc diceret*; hoc eſt, omnes Siculi. Virgilius....

——————— *Ille impiger hauſit*
Spumantem pateram:

hoc eſt vinum in patera contentum. Idem rursùs Virgil. lib. 2. Æneid. v. 265....

Invadunt urbem vino, ſomnoque ſepultam.

urbem uſurpat pro incolis qui in urbe continentur.

Adjuncti Metonymia dicitur, quando rem, quæ recipitur, ſumimus pro ea quæ recipit, & hoc ſenſu nomina virtutum, vitiorum, & aliarum multarum rerum, pro iis perſonis quibus inſunt, adhibentur; ut illud Ciceronis.... *O ſcelus! O labes! O audaciam in-*

credibilem! ubi ſcelus pro audaci uſurpatur. Virgilius....

Aſpera tùm poſitis miteſcent ſecula bellis.

aſpera ſecula pro perditis hominibus, vel moribus temporum. Idem Cic. Verrinâ 1.... *Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in ſuppliciis, avaritia in rapinis, ſuperbia in contumeliis efficere potuiſſet, eas omnes hoc Prætore, per triennium Sicilia perculit:* ubi luxuries pro homine luxurioſo, crudelitas pro crudeli, &c.

ARTICULUS III.

De Synecdoche.

SYNECDOCHE Tropus eſt, quo vel ex parte aliquâ totum, vel ex toto pars aliqua ſignificatur.

Synecdoche alia membri, alia integri, alia ſpeciei, alia generis.

Synecdoche membri eſt, quando ex membro integrum, vel totum ex parte intelligitur. Cicero Philippicâ 2. N. 104.... *O tecta ipſa miſera, quàm diſpari Domino tenebamini.* Virgilius....

——— *Stat ferri acies mucrone corusco.*

Illic tecta pro integra domo; hîc mucro pro gladio sumitur. Idem Cic. Catilinariâ 1.. *Multorum te oculi, & aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur, atque custodient.* Hîc aures & oculi pro auritis & oculatis hominibus.

Synecdoche integri est, quando vel ex toto pars, vel ex integro membrum significatur. Cic. pro Murænâ.... *Ex ultima urbe deductum*, hoc est, ex ultima parte urbis. Virgilius primo Æneidos....

——————————— *Priusquam*
Pabula gustassent Trojæ, Xanthumque bibissent.

Hîc intelligit partem pabuli, & Xanthi fluminis partem.

Synecdoche speciei est, cùm è specie significatur genus. Dicitur à Cicerone vir stupri plenus, hoc est, omnis libidinis, cujus stuprum quædam species est.

Non ita Carpathiæ fervent Aquilonibus undæ:

Ubi Carpathiæ undæ pro quovis alio mari, ut Aquilones pro quovis alio vento afferuntur.

Est etiam quodammodo Synecdoche speciei, cùm singulari utimur pro plurali. *Ro-*

manus cedendo vicit, hoc eſt, Romani vicerunt. Virgilius....

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Ubi Parthus pro tota Natione Parthorum.

Synecdoche generis eſt quando ex genere ſpecies intelligitur. Cic. pro Marcello..... *Certè in armis militum virtus multùm juvat*, hîc virtus pro fortitudine, quæ eſt virtutis ſpecies. Virgilius.....

——— *Prædamque ex unguibus Ales*
Projecit fluvio:

hîc Ales pro Aquila, quæ eſt ſpecies Alitis.

Hoc ſenſu quoque pluralem numerum pro ſingulari numero uſurpant: ut Cicero lib. de Oratore ad Brutum.... *Nos quoque, inquit, populo impoſuimus, & Oratores viſi ſumus*; id eſt, ego Cicero ſum viſus Orator. Virgilius.....

——————— *Sic ora ferebant*

hoc eſt os. Idem.....

——————— *Per colla, per armos.*

hoc eſt per collum.

ARTICULUS IV.

De Ironia.

IRONIA, eſt Tropus, quo aliud loquimur, aliud intelligimus: ita Cicero Clodium diſſimulanter irridet, atque innuit pudorem, integritatem, probitatem, ab eo pridem eſſe abjectam.... *Integritas tua te ſervavit, mihi crede, pudor eripuit, vita anteacta ſervavit.* Idem Cic. oratione pro Ligario per Ironiam, quam Fabius divinam appellat.... *Novum crimen, C. Cæſ. & ante hunc diem inauditum &c.* Vide & Verrinam ſextam N. 86. & pro Milone N. 20.

SECTIO II.

De Schematibus, ſeu Figuris.

SCHEMA ſeu Figura eſt Elocutio, quâ oratio à vulgari, & ſimplici conſuetudine dicendi in meliorem & præſtantiorem traducitur.

Figuræ genus duplex, alia verbi, alia ſententiæ.

Figura verbi, eſt apta & ſuavis dictionum

conformatio, unde efflorefcit Numerus, qui, ut ait Orator, aurium voluptati morigeratur.

Figuræ verbi, & fententiæ hôc difcrepant: quòd variato vocabulorum ordine, Figura verbi pereat, non item & Figura fententiæ.

ARTICULUS I.

De Schematibus verbi.

FIGURÆ verbi aliæ fiunt defectu, feu fubductione alicujus vocis; aliæ contrà, exceffu, feu adjectione, aliæ repetitione ejufdem vocis, aliæ fimilis vocis repetitione.

Defectu figurant Ellipfis, & Afyndeton.

Exceffu figurant Pleonafmus, & Polyfyndeton.

Ellipfis, feu Reticentia, eft cùm detractâ voce aliqua oratio fit vehementior. Cicero in Verrem.... *Hunccine hominem! hanccine impudentiam*! ubi reticetur, feremus. Virgilius....

Ecquis erit mecum, ô juvenes, qui primus in hoftem.

Subticetur, irrumpet.

Afyndeton, eft cùm detractis conjunctionibus, feu copulis, oratio fit concitatior. Cic.

pro Lege Maniliâ.... *Non enim solæ sunt illæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgò æstimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo.* Virgilius,

Ferte citi flammas, date tela, scandite muros.

Pleonasmus opponitur Ellipsi, & fit adjectione cujusdam vocis, ad majorem vim. Terentius....

Hisce oculis egomet vidi.

Virgilius...

Illum ego per flammas, per mille sequentia tela
Eripui his humeris.

vocabulum, his, Pleonasmum efficit.

Polysyndeton opponitur Asyndeto, & fit adjectione copulæ, amplificandi causâ. Cic. pro Lege Manilia.... *Asia verò tam opima est, & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionum, & multitudine earum rerum, quæ asportantur, facilè omnibus terris antecellat.* Virgilius.....

Ascaniumque, patremque meũ, juxtáque Creüsam:

Alterum in alterius mactatos ſanguine cernam.

De his quæ figurant vocis ejuſdem poſitione.

FIGURANT ejuſdem vocis poſitione. Antanaclaſis, cùm uſurpatur vox eadem appellatione, non ſignificatione. Cicero lib. 4. ad Herennium.... *Amari jucundum eſt, ſi curetur ne quid inſit amari.*

Celebre eſt illud è Suetonio adversùs Neronem Epigramma....

Quis neget Æneæ clarâ de ſtirpe Neronem;
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

hic, Nero ſcilicet, ſuſtulit matrem, hoc eſt, enecavit; ille, Æneas nempe, ſuſtulit patrem, id eſt, humeris exportavit.

Synonymia Figura eſt, quâ voces ejuſdem ſignificationis, at diverſæ appellationis conjunguntur ad amplificandam rei dignitatem. Cic. Philippica 5..... *promitto, recipio, ſpondeoque.* Prima Catilinaria..... *Non feram, non patiar, non ſinam.* Et in Piſonem.... *O tenebræ! O lutum! O ſordes!* Idem Cicero Orationem pro Muræna orditur

ab insigni Synonymia..... *Quæ precatus sum à Diis immortalibus, Judices*, &c.

Expolitio sententias idem significantes accumulat, asseverationis, indignationis, doloris, commiserationis, exprobrationis causâ. Cicero pro Ligario... *Quid enim, Tubero tuus ille districtus in acie Pharsalicâ gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?*

Anaphora est repetitio vocis ejusdem appellatione, & significatione simul in principio cujusvis membri. Valet ad concitandos motus, & insectationi potissimùm, ac laudationi inservit. Cicero primo in Verrem libro. .... *Manus à tutela, manus à pupillo, manus à sodalis filio abstinere non potuisti.* Et Catilinaria prima..... *Nihil te nocturnum præsidium Palatii? nihil Urbis vigiliæ? nihil timor Populi? nihil consensus bonorum omnium?* &c. Vide & Agraria 2. N. 9. & pro Quintio N. 51. & sequenti. Virgilius de Orpheo uxoris fatum lugente.....

Te, dulcis conjux, te solo in littore secum,
Te veniente die, te decedente canebat.

Epistrophe seu conversio, est repetitio in fine cujusvis membri: & habet virtutem eamdem

dem cum Anaphora, putà laudandi, ſuſcitandi, commovendi, Cic. Philippicâ 5..... *Pœnos Populus Romanus juſtitiâ vicit, armis vicit, liberalitate vicit.* Et Philippicâ 2.... *Doletis tres exercitus Populi Romani interfectos? interfecit Antonius: deſideratis clariſſimos Cives? eos quoque vobis eripuit Antonius: auctoritas hujus ordinis afflicta eſt? afflixit Antonius.*

Symploce, aliàs Complexio, Anaphoram & Epiſtrophen comprehendit, rebus exaggerandis cum acrimonia, & urgendo adverſario apta mirificè, ut..... *Quem Senatus damnavit, quem omnium exiſtimatio damnavit, eum veſtris ſententiis abſolvetis!* Cic. pro Lege Agraria.... *Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem Populi partem ſuffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis præfuit? idem Rullus.*

Epanalepſis eſt repetitio primo loco ſententiæ præcedentis, & poſtremo ſubſequentis. Cicero pro Marcello.... *Vidimus victoriam tuam præliorum exitu terminatam; gladium vaginâ vacuum in Urbe non vidimus.* Ovidius 6. Faſtorum.....

Qui bibit, inde furit: procul hinc diſcedite queis eſt
Cura bonæ mentis; qui bibit, inde furit.

Idem Cicero pro Milone N. 95.... *Negat*

enim se, negat ingratis Civibus fecisse quod fecit: timidis, & omnia circumspicientibus non negat.

Anadiplosis seu Reduplicatio, est repetitio in fine sententiæ præcedentis, & initio subsequentis, ad Emphasim, & acrimoniam. Cicero in Catilinam.... *Hic tamen vivit: vivit? imò in Senatum venit.* Virgilius Eclog. 6. v. 20....

Addit se sociam, timidisque supervenit Ægle,
Ægle Naïadum pulcherrima.

Et alio loco....

——— *Ruit in medios pulcherrimus Astur,*

Astur equo fidens.

Idem Cicero pro Rabirio.... *Gabinius illud quo quo consilio fecit, fecit certè suo: quæcumque mens illa fuit, Gabinii fuit: sive, ut ille ipse dicebat, gloriam, sive, ut tu vis, pecuniam quæsivit; quæsivit sibi.*

Epanodos seu Regressio, est quando id quod priori loco positum est, posteriori repetimus; & quod erat posteriori positum, repetimus in priori. Cicero pro Cæcinna... *Quia res indigna sit, ideò turpem existimationem sequi, quia turpis existimatio sequa-*

tur, ideò rem indignam non judicari. Virgilius.....

——— *Crudelis tu quoque mater;*
Crudelis mater magis, an puer improbus ille!
Improbus ille puer; crudelis tu quoque mater.

Epizeuxis, eſt cujuſdam vocis cum vehementia iteratio; quacumque in ſententiæ parte commovendis affectibus idonea. Cic. pro Milone..... *Excitate, excitate, ſi poteſtis ab Inferis.* Et pro Lege Manilia...... *Fuit hoc quondam, fuit Populi Rom. longè à domo bellare.* Virg. 9. Æneid....

Me me adſum qui feci, in me convertite ferrum:

Et quarto libro.

Fœlix, heu nimiùm fœlix!

Χλιμὰξ, ſeu Gradatio, eſt Figura, quâ gradatim ab uno ad aliud ſic progredimur, ut eodem vocabulo ſubſequentem orationem cum præcedente connectamus, & hæc habet plurimùm venuſtatis: ut.... *Africano virtutem induſtria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.* Cicero pro Roſcio Amerino.... *In Urbe luxuries creatur, ex luxuriâ avaritia exiſtat neceſſe eſt, ex avaritiâ erumpat audacia: inde omnia ſcelera, ac maleficia gignuntur.*

Polyptoton eſt Figura, quâ idem vocabulum variatis caſibus, modis, generibus, numeris, temporibus, perſonis repetitur. Cic. pro Cœlio. . . . . . *Res cum re, cauſa cum cauſâ, ratio cum ratione pugnabit.* Idem pro Archia Poëta. . . . . *Pleni ſunt omnes libri, plenæ ſapientium voces, plena exemplorum vetuſtas.* Virgilius 4. Æneidos. . . . .

Littora littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis.

De his quæ figurant poſitione ſimilis vocabuli.

PAREGMENON, ſeu derivativum conjungit voces, quarum una ortum ducit ab altera, & hæc Figura habet vim delectandi. Cicero Philippicâ 2. . . . *Non tractabo illum ut Conſulem, ne ille quidem me ut Conſularem.* Virgilius 3. Æneidos. v. 98. . . .

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Idem Virgilius 7. Æneid. . . . .

Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent.
Tecti auro, fulvum mandunt ſub dentibus
aurum.

Ovidius Elegia 5. 2. lib. de Ponto.....

Tu quoque Pieridum ſtudio ſtudioſe teneris:
Ingenioque places ingenioſe meo.

Paronomaſia, ſeu agnominatio, fit cùm unius aut plurium litterarum vel ſyllabarum adjectione, detractione, tranſpoſitione, vel immutatione alia ſententia efficitur.

Et adjectione quidem, ut in hoc Ciceronis pro Cœlio.... *Civis bonarum artium, bonarum partium.*

Detractione, idem Cicero.... *Res mihi inviſæ viſæ ſunt, Brute.*

Tranſpoſitione idem, Cic. Philippicâ 2.. *Conſul parvo animo, & pravo.*

Immutatione, idem Cicero 2 Philippicâ. .... *En cur Magiſter ejus de Oratore Arator factus eſt.* Poëtæ itidem hac figurâ delectantur, utpote quæ faciat ad acumen. Virgil...

——— *Puppeſque tuæ, pubeſque tuorum.*

Et....

Avia tum reſonant avibus virgulta canoris.

Denique Auſonius de Venere....

Orta ſolo, ſuſcepta ſolo, patre edita cœlo.

Homoioptoton, ſeu ſimiliter cadens, cùm duo vel plura vocabula in eadem conſtructione iiſdem temporibus aut caſibus efferuntur, vel initio, vel medio, vel fine; ut... *Pollet authoritate, circumfluit opibus, abundat amicis.* Cicero pro Roſcio Amerino...: *Quid tam commune quàm ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis.*

Homoioteleuton, ſeu ſimiliter deſinens, eſt cùm ſimili modo Periodi membra ſingula aut inciſa terminantur; ut.... *Non ejuſdem eſt, facere fortiter, & vivere turpiter.* Cicero pro Sylla.... *Conſilio inveſtigaſſet, virtute aperuiſſet, magnitudine animi vindicaſſet.* Et pro lege Maniliâ.... *Ut ejus ſemper voluntatibus non modò Cives aſſenſerint, ſocii obtemperarint, hoſtes obedierint: ſed etiam venti, tempeſtateſque obſecundarint.*

Addunt vulgò Parecheſin, cùm una plures-ve ſyllabæ vocis antecedentis in conſequentibus, vel continuo, vel exiguo poſt intervallo repetuntur. Cicero pro Milone.... *Vi victa vis*, Virgil. 2. Æneid...

——————— *Dorica Caſtra.*

Plus valent in Sententiis, & acutè dictis ii Tropi & Figuræ, quæ ſimilitudine variant orationem, aliàs rariùs, aut invenuſtiùs uſurpantur, ſuntque Poëtarum magis, quàm Oratorum propriæ.

ARTICULUS II.

De Figuris Sententiarum.

SCHEMATA Sententiæ alia rem augent, alia minuunt, alia neque augent, neque minuunt, sed figurant, vel ratione personæ, vel ratione rei, vel per oppositionem, vel ratione personæ & rei simul.

De his quæ figurant augendo.

AUXESIS Figura est, quæ suprà veritatem rem extollit; sic tamen, ut non excedat fidem. Hac utitur Accusator ad exaggerandum, ut si pro ingrato, impium: pro improbo, sacrilegum: pro hortari, dixeris inflammare. Uno verbo, Auxesis nihil est aliud, quàm vehemens rei amplificatio, cujusmodi hæc est apud Ciceronem pro Cluentio. N. 199. *At quæ mater? quam cæcam crudelitate, & scelere ferri videtis, cujus cupiditatem nulla unquam turpitudo retardavit, quæ vitiis animi in deterrimas partes jura hominum convertit omnia: cujus ea stultitia est, ut eam nemo hominem; ea vis, ut nemo fœminam; ea crudelitas, ut nemo matrem ap-*

pellare possit: atque etiam nomina necessitudinum, non solùm naturæ nomen, & jura mutavit. Idem Philippicâ 3. N. 9. & 10. & in Verrem N. 10. & sequentibus primæ Actionis.

Ecbasis, latinè Digressio, fit cum interjicitur aliquid in oratione præter propositum, sic ut ab instituto argumento recedere videamur. Cicero Oratione pro Cœlio N. 59. luculentam Digressionem habet in mortem Quinti Metelli, & pro Roscio Amerino N. 20. Digressionem habet de Syllâ Imperatore benè longam.

Adverte Oratorem, priusquàm digrediatur, nonnunquam viam ad Digressionem præmunire, & præmonere, præsertim si longior Digressio futura est. Cicero lib. 4. in Verrem.... *Nimium mihi videor diù in uno genere versari criminis; sentio, Judices, occurrendum esse aurium satietati animorumque vestrorum: quamobrem multa prætermittam, ad ea autem quæ sum dicturus, reficite vos, Judices,* &c. tùm de raptu Proserpinæ, ac de Ennensi Cerere digressionem adnectit fusissimam.

Adverte rursùm, ubi digressus fueris, redeundum esse ad propositum additâ præmunitione, seu transitione, præsertim si paulò longior fuerit Digressio. Cicero post Digressionem Orationis in Verrem digreditur....

Non obtundam diutiùs aures veſtras. Idem poſt Digreſſionem ejuſdem Orationis pro Cœlio, ſic ad rem ſuam redit..... *Sed revertar ad crimen.*

Utimur Digreſſione, cùm retinere, aut oblectare volumus, aut rem ornare, atque amplificare graviùs, cùm animos Judicum à conſideratione criminis aliò volumus deducere.

Metabaſis ſeu Tranſitio, Figura eſt quâ breviter monemus Auditorem, vel quid ſuperiùs dixerimus, vel quid ſumus dicturi deinceps, vel utrumque ſimul. Cicero pro lege Maniliâ..... *Quoniam de genere dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.* Et pro Roſcio Amerino.... *Age nunc videamus ea, Judices, quæ conſecuta ſunt.*

De his quæ figurant minuendo.

TAPINOSIS vel extenuatio, opponitur Auxeſi. Figura eſt, quæ levitate nominis rei gravitatem extenuat. Cicero in Epiſtolis.... *In unius mulierculæ animâ ſi jactura facta ſit, iraſcimur.* Pro Milone.... *Mirabar credi popæ ebriorum, confeſſionem ſervorum audiri, vulnus, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris putari.* Idem pro Ligario,... *Scelus tu id vocas, Tubero,*

isto enim nomine, istâ adhuc causâ caruit; alii timorem appellant, qui graviùs & duriùs spem, cupiditatem, odium, pertinaciam; qui gravissimè temeritatem, scelus, præter te adhuc nemo.

Aposiopesis seu Reticentia, est Sententiæ suppressio: Cicero Epistola 3. libri 13.....

Si perficitis id quod agitis, me ad vos venire oportet; sin autem... Sed nihil est opus reliqua scribere. Idem pro Milone.... *An ille hujus legis, quam Clodius à se inventam gloriatus est, mentionem facere ausus esset vivo Milone, ne dicam Consule; nostrum enim omnium... non audeo totum dicere.* Virgilius 2. Æneidos.....

Nec requievit enim, donec Calchante ministro..
Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata revolvo.

Præteritio fit, cùm fingimus nos præterire aliquid quod tamen in transcursu Orationis dicimus; & convenit laudationi, vituperationi, confirmationi, ac confutationi. Cic. ad Atticum... *Omitto illa vetera, quod istum in Remp. aluit, auxit, armavit.* Et 1. in Rullum N. 21. .... *Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium hujus jacturæ atque damni: illa prætermitto, quæ nemo est quin gravissimè conqueri possit.* Et in Verrem 3. Oratione N. 32 de Provinciis Consularibus N. 8. in Pisonem N. 87. & alibi passim.

Periphrasim iis adjicimus, & fit cùm unam

rem aliquam verbis multis designamus: facit modò ad illustrandum seu augendum, modò ad obscurandum, seu minuendum eâ Figurâ. Quocircà utrumque genus participat Schematum superiorum, quæ vel augendo, vel minuendo figurant. Prioris generis est illa apud Virg. Periphrastica Descriptio initio Æneidos.....

——————— *Trojæ qui primus ab oris*
Italiam fato profugus, Lavinaque venit
Littora.

Posterioris generis est, cùm Cicero in Miloniana, ut significaret Clodium à servis Milonis occisum, quia gravius erat dicere, servi Milonis Clodium occiderunt, maluit Periphrasticè mollire dictum hoc pacto. *Hæsit* (Clodius nimirùm) *in iis pœnis, quas ab eo servi fideles pro Domino expetiverunt.* Et paulò post... *Fecerunt id servi Milonis quod suos quisque servos in tali re facere voluisset*, hoc est, Clodium occiderunt.

Aliquando Periphrasis neque augendo, neque minuendo adhibetur, sed tantummodò ad aliquem circumlocutione designandum: ut Virgilius, Vates Mantuanus; Achilles, Chironis alumnus appellatus est.

De his quæ figurant neque augendo, neque minuendo, sed ratione personarum.

SERMOCINATIO seu Dialogismus, fit cùm aptè personam aliquam, quæ sit præsentis instituti, aut secum, aut cum aliis, aut nobiscum loquentem inducimus. Cicero pro Quintio.... *Quid ad hæc Nævius? ridet scilicet amentiam nostram, qui in vita sua rationem summi officii desideremus, ex instituta bonorum virorum requiramus. Quid mihi, inquit, cùm summa ista sanctimonia? viderint, inquit, ista officia viri boni: de me autem ita considerent, non quid habeam, sed quibus rebus invenerim, quærant.* Et pro Roscio.... *Cùm hoc modo accusas, Eruti, nonne palam hoc dicis; ego quid acceperim scio, quid dicam, nescio: unum illud spectavi* &c. Insigne est ejusmodi Sermocinationis exemplum, quod habetur lib. 4. ad Herennium, ubi plurium simul personarum colloquium refertur.... *Cùm militibus urbs redundaret, & omnes* &c. N. 75. Idem in Oratione pro Plancio suum cum aliis colloquium refert hoc modo.... *At ego cum casu diebus iis* &c. N. 65. Virgilius 4. Æneid. inducit Didonem secum ita loquentem..... *En quid agam? rursùs ne procos irrisa priores*

Experiar, Nomadumque petam connubia supplex?

Et primo ejusdem operis....

——— ——— *Me-ne incepto desistere victam,*
Nec posse Italiâ Teucrorum avertere Regem.

Prosopopœia fit, cùm personam, quæ sit extrà argumentum, loqui fingimus; aut cùm rei ratione destitutæ, sermonem, intelligentiam, vel actionem attribuimus. Habes in eadem Oratione pro Cœlio Appii Cœci Prosopopœiam ita Clodium alloquentis..... *Mulier, quid tibi cum Cœlio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno?* &c. Adeatur locus N. 33. Et Catilinariâ primâ patriæ apud Catilinam expostulantis Prosopopœiam hanc subjicit.... *Quæ patria tecum Catilina, sic agit, & quodammodo tacita loquitur. Nullum jam tot annos facinus extitit nisi per te, nullum flagitium sine te. Tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio, direptioque sociorum impunita fuit ac libera. Tu non solùm ad negligendas leges, & quæstiones, verùm etiam ad evertendas, perfungendasque valuisti.* Locum adeas N. 18. Vide alias apud eumdem Oratione 7. in Verrem N. 135. & pro Plancio N. 12.

Est etiam Prosopopœia, quando ad res inanimas tanquam ad personas Orationem convertimus: ut in Milonianâ.... *Vos, inquit, Albani tumuli atque luci; vos, inquam, im-*

ploro atque obtestor &c. N. 86. & pro Balbo N. 13.... *O Nationes*, *Vrbes*, &c.

Cœterum de usu Prosopopœiæ sic habet Quintilianus..... Illa sunt audaciora, & majorum laterum, fictiones personarum, quæ Prosopopœiæ dicuntur; mirè namque tùm variant Orationem, tùm excitant suadendo, objurgando, querendo, laudando, miserando.

Apostrophe est, cùm sermonem aliò convertimus, quam instituta requirit Oratio. Cicero pro Milone.... *Vos, vos appello, fortissimi viri, qui multum pro Rep. sanguinem effudistis; vos in viri, & in Civis invicti periculo appello, Centuriones, vosque milites vobis non solùm inspectantibus, sed etiam armatis, & huic judicio præsidentibus, hæc tanta virtus ex hac urbe expelletur, exterminabitur, ejicietur.* Et Prima Catilinaria N. 33. Vide & in Oratione pro Domo suâ N. 104. & 113.

Est etiam Apostrophe, cùm ad res inanimas Oratio convertitur, ut in exemplo superiori...... *Vos Albani tumuli &c.* Et pro Sextio...... *Leges Porciæ*, &c. Et apud Virgilium Æneid.....

O patria, ô Divûm domus Ilium, & inclyta bello
Pergama!

Communicatio, quâ judicem Auditorem adversarium consulimus, quid sit agendum,

vel fuerit priùs in tali re ; valet ad flectendos animos Auditorum, evincendos adversariorum, conciliandos Judicum, significatione fiduciæ, quia rem totam illorum judicio subjicere, ac permittere videamur. Cicero pro Rabirio perduellionis reo. . . . . *Tu denique, Labiene, quid faceres in tali re ac tempore, cùm ignaviæ ratio te in fugam atque in latebras impelleret, improbitas & furor Lucii Saturnini in Capitolium arcesseret, Consules ad Patriæ salutem, ac libertatem vocarent : quam tandem authoritatem, quam vocem, cujus sectam sequi, cujus imperio parere potissimùm velles ? Patruus, inquit, meus* &c. Et in Verrem 1. . . . . *Nunc ego vos consulo, Judices, quid mihi faciendum putetis ? id enim consilii profectò dabitis, quod egomet mihi necessariò capiendum intelligo.* Et pro Cæcinna. . . . *Quæro si te hodie domum tuam &c.* N. 35. pro Quintio N. 54. & sequenti.

Gnome seu sententia, est generale pronunciatum de rebus agendis aut fugiendis : qualia sunt innumera Senecæ utriusque, & Philosophi quidem, ut illud : *gratum hominem semper beneficium delectat, ingratum semel.* Et alio loco. . . . . *Otium sine litteris mors est, & vivi hominis sepultura.* Poëtæ verò, ut. . . . .

Leviùs solet timere qui propiùs timet,
Et . . . . violenta nemo imperia continuit, diù
Moderata durant : quoque fortuna altiùs
Evexit, ac levavit humanas opes,

Hoc se magis supprimere felicem decet;
Variosque casus tremere metuentem Deos
Nimium faventes.

Et Virgil.....

——*Adeò in teneris assuescere multum est.*

Et Plinius lib. 3. Epist. 4..... *Est ita comparatum, ut antiquiora beneficia subvertas, nisi illa posterioribus cumules. Nam quantumlibet sæpè obligati, si quid unum neges, hoc solùm meminerunt, quod negatum est.*

Habent Sententiæ gravitatem, eòque sunt commendatiores, quòd, ut ait Cicero lib. 3. de Oratore, doceant simul & delectent: parcè tamen adhibendæ sunt, ne sint Auditori fastidio potiusquàm voluptati.

De iis quæ figurant ratione rei.

DEFINITIO, de qua dictum est in locis communibus.

Distributio, cùm totum aliquod in suas partes distribuitur: ferè non differt ab enumeratione partium, nisi quia sumitur tum ad ornandum, tùm etiam ad probandum.

Dat Populus, dat gratus Eques, dat thura Senatus.

Id est, Civitas elegans est. Illa distributio in Oratione pro Cœlio..... *Sed ego Atratino humanissimo atque optimo Adolescenti meo necessario*

cessario ignosco, qui habet excusationem vel pietatis, vel necessitatis, vel ætatis; si voluit accusare, pietati tribuo: si jussus est, necessitati: si speravit, pueritiæ.

Synatroïsmus seu Congeries, est cùm res multas diversas aut similes, magnas tamen coacervamus, & quâdam celeritate percurrimus. Valet ad amplificandum. Cicero Catilinariâ primâ. . . . . *Ut Catilinæ profectione omnia patefacta, illustrata, oppressa, vindicata esse videatis.* Virgilius quarto Æneidos v. 604. . . .

———Faces in castra tulissem,
Implessemque foros flammis.

Oratione pro Murænâ N. 97.

Incrementum est, cùm gradatim ab infimis ad summa progredimur. Cic. pro Roscio Amerino. . . . . *Eo prorumpere hominum cupiditatem, & scelus, & audaciam, ut non modò clam, verùm etiam hîc, in foro, ante tribunal tuum, Marce Fanni, ante pedes vestros, Judices, inter ipsa subsellia, cædes futuræ sint.* Et pro Quintio. . . . . *Miserum est exturbari omnibus fortunis, miseriis &c.* Et Philippicâ 2. . . . . *Tu, istis faucibus, istis lateribus*, ut superiùs. Et Actione in Verrem sextâ N. 98.

Ætiologia est Figura, quæ facti rationem adjicit. Cicero in Verrem. . . . . *Intelligo quàm difficili, scopulosoque verser in loco: nam cùm omnis arrogantia sit molesta, tùm illa ingenii, atque Eloquentiæ multò molestissima.* Et illud ejus-

dem. . . . . *Benè Majores noſtri hoc comparaverunt, ut neminem Regem, quem armis ceperint, vitâ privarent. Quid ita? quia quam vobis fortuna facultatem dediſſet, iniquum erat in eorum ſupplicio conſumere, quos eadem fortuna ante in ampliſſimo gradu collocaverat.* Et pro Quintio..... Multas una coacervat rationes.... *Quis ergo eſt qui neget?* &c. Virgil. quarto Æneid.....

At Regina dolos (quis fallere poſſit amantem)
Præſenſit.

Et 11. Æneid.

Haſtam alii, galeam que ferunt: Nam cætera
Turnus
Victor habet.

Hypotypoſis ſeu Deſcriptio, eſt cùm rem ita ſub aſpectum ſubjicimus, ita pingimus Oratione, ut geri coram oculis videatur. Cic. in Verrina 7..... *Inflammatus ſcelere, & furore, in forum venit; ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat.* Et pro Roſcio Amerino...... *Non vobis, quæ auditis cernere oculis videmini, Judices? non illum miſerum ignarum caſus ſui, à cœna redeuntem videtis? non poſitas inſidias? non impetum repentinum? non verſatur ante oculos vobis in cæde Glaucia.* N. 98. Idem lib. 4. ad Herennium N. 74. oſtenratoris mores. Idem in Oratione pro Comœdo N. 2. hominem improbum deſcribit, & Philippicâ 2. N. 58.

Comparatio est, cùm rem alterius similitudine illustramus; ut, si cum Cæsare Alexandrum, cum Italia Græciam, vel rem quamlibet aliam cum alia conferas. Cicero 2. Tusc. . . *Ut agri non omnes frugiferi sunt qui coluntur, sic animi non omnes culti fructum ferunt.* Et pro Roscio Amerino. . . . . *Ut ignis in aquam conjectus, continuò extinguitur, & refrigeratur; sic refervens falsum crimen, in purissimam & castissimam vitam collatum statim recidit & exstinguitur.* Seneca Epist. 4. *Ut qui se inquilinos esse meminerunt, & in conducto habitare, & modestiùs se gerunt, & minùs gravatim exeunt: ita qui domicilium intelligunt corporis ad breve tempus à natura commodatum esse, & vivunt temperantiùs, & libentiùs moriuntur.* Vide Ciceronem pro Roscio N. 56. & Catilinariâ 2. N. 30. Hanc è Virgilio propter nativam venustatem affero. . . .

O formose puer, nimium ne crede colori;
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Fiunt etiam comparationes rerum diversarum. Cicero Philippicâ 3 . . . . . . *Certus dies, non ut sacrificii, sic consilii expectari solet.* Et pro Plancio. . . . . *Difficilis est pecuniæ debitio & gratiæ; nam qui pecuniam dissolvit, statim non habet id quod reddidit: qui autem debet, is retinet alienum. Gratiam autem & qui refert,*

habet, & in eo ipso quod habet, refert. Catul. quinto libro Epigram.....

Soles occidere, & redire possunt:
Nobis cùm semel occidit brevis lux,
Non est perpetua una dormienda.

De his quæ figurant ratione rei, & per appositionem.

DIAPORESIS seu Addubitatio, est cùm præ se fert Orator sollicitì hominis affectum, & dubitantis quid potissimùm agat. Cicero Actione primâ in Verrem..... *Quid primùm accusem, aut querar, Judices, &c.* Et pro Roscio Amerino..... *Quid primùm accusem, aut unde potissimùm, Judices, ordiar; aut quod? aut à quibus auxilium petam? Deorumne Immortalium, Populi-ne Romani?* Virgilius libro tertio Æneidos.....
Eloquar, an sileam?
Et quarto.....
En quid agam? rursùs-ne procos irrisa priores
Experiar, Nomadumque petam connubia supplex;
Quos ego sum toties jam dedignata maritos.

Idem Cicero pro Cluentio..... *Equidem quod*

ad me attinet, quò me vertam nescio, &c. Et pro Milone..... *Quid respondebo liberis meis* &c. Valet hæc figura ad conciliandam attentionem: unde maximè convenit exordiis.

Inopinatum fit, cùm aliquid præter Auditoris expectationem subjicimus: dicitur hæc & sustentatio, quod hac Figurâ diù suspensus animus Auditoris teneatur. Cicero Actione ultimâ in Verrem N. 1..... *Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut prædam expectatis aliquam. Nolite usquequaque eadem quærere: in metu belli furandi quis locus esse potest*. Et aliquanto post..... *Etiam nunc mihi expectare videmini, Judices, quid deinde factum sit. Expectate facinus quàm vultis improbum, vincam tamen expectationem omnium. Nomine sceleris, conjurationisque damnati, ad supplicium traditi, ad palum alligati, repentè multis hominum millibus inspectantibus soluti sunt, & Leonidæ illi domino redditi*.... Et quartâ in Verrem N. 106. Pro Dejotaro N. 26...... *Quid deinde Furcifer, quò progreditur?* Et pro Roscio Amerino N. 39..... *Patrem occidit*.

Epanorthosis seu Correctio, est propositæ sententiæ, aut suimet ipsius revocatio. Cic. in Verrem..... *O Clementiam Populi Romani, seu potiùs miram patientiam, ac singularem!* Et Philippicâ 3.... *Patrimonium suum effudit: quanquam non sumus eo usi verbo, quo decuit; non effudit, sed in patriæ salutem collocavit*.

Conceſſio, fit cùm aliquid concedimus, ut aliud conſequamur. Cicero in Verrem 7. N. 4..... *Sit fur, ſit ſacrilegus, ſit flagitiorum omnium, vitiorumque princeps; aſt eſt bonus Imperator, & fortis, & ad dubia Reip. tempora reſervandus.* Hæc de Verre ironicè per conceſſionem à Cicerone dicuntur. Et pro Ligario N. 2..... *Habes igitur Tubero* &c. & in Vatinium N. 11. pro Muræna N. 41. quartâ in Verrem N. 46. & 105.

Prolepſis eſt objectionis occupatio cum ſubjectione reſponſi. Cicero pro Comœdo..... *Egebat? imò locuples erat. Debebat? imò in ſuis nummis verſabatur. Avarus erat? imò etiam antequàm locuples, ſemper liberaliſſimus, munificentiſſimuſque fuit* &c. & ejuſdem Orationis N. 25..... *Formulam non noras? imò* &c. Et in Oratione pro Cœlio N. 39. objectionem occupat..... *Dicet aliquis* &c. deinde affert ſubjectionem. .... *Si quid, Judices.* Et pro Quintio N. 41. primâ Catilinariâ N. 28.

Antitheton eſt, quando contrariis opponuntur contraria. Cicero pro Cluentio..... *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Idem pro Cœlio naturam Catilinæ ſic depingit per contraria N. 12.....

Habuit ille permulta non expreſſa maximarum ſigna, ſed adumbrata virtutum. Utebatur hominibus improbis multis, & quidem optimis ſe viris deditum eſſe ſimulabat. Erant apud eum-

dem illecebræ libidinum multæ, erant etiam industriæ quidam stimuli, ac laboris; flagrabant vitia libidinis apud illum, vigebant etiam studia rei militaris: quis clarioribus viris quodam tempore jucundior, quis &c. Et pro Roscio Comœdo. . . . . *Illa superior fuit Oratio necessaria, hæc erit voluntaria; illa ad Judicem, hæc ad Pisonem; illa pro reo, hæc pro Roscio: illa victoriæ, hæc bonæ existimationis causa comparata est.* N. 15.

Commutatio, Græcis, ἀντιμεταβολὴ, fit cùm è transpositione verborum oritur sensus contrarietas. Cicero pro Dejotaro. . . . . *In dominatu servitus, in servitute dominatus.* Idem lib. 3. de Legibus. . . . . *Verè dici potest Magistratum legem loquentem esse, legem autem mutum Magistratum.* Quintilianus. . . . . *Ut novorum optima, erunt maximè vetera, ita veterum optima, maximè nova* Cicero vocat commutationem genus Orationis inventu difficile.

Διαλληλὸν, est sententiarum reciprocatio: ut, doctis disertior, disertis doctior: justis fortior, fortibus justior.

Acutè-dictum, Græcè, ὀξύμωρον, quo idem negatur de eodem. Cicero Catilinariâ primâ. . . . . *Cùm tacent, clamant* &c. Et libro de Amicitia. . . . . *Quocircà amici absentes adeunt, & egentes abundant, & imbecilles valent; &, quod difficilius dictu est, mortui vivunt.* Et in Verrem. . . . . *In uberrima Siciliæ parte, Sici-*

liam quærebamus. Martialis. . . . .

Inque omni nusquam corpore corpus erat.

Ovidius. . . . .

Impietate pia est.

Et alio loco. . . . .
———*Facto pius, & sceleratus eodem.*

Virgilius. . . . .

Num capti? potuêre capi. Num incensa cremavit Troja viros?

De his quæ figurant ratione personæ aut rei.

LICENTIA, cùm apud eos, quos vereri debemus, liberiùs quædam pronunciamus, vel commonendi, vel objurgandi, vel per simulationem adulandi causâ. Cicero pro Ligario. . . . . *Vide quàm non reformidem, vide quanta lux liberalitatis, & sapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur; quantum potero, voce contendam, ut Populus Romanus hoc exaudiat. Suscepto bello, C. Cesar, gesto etiam ex magna parte, nullâ vi coactus, judicio meo, ac volun-*

tate ad ea arma profectus sum , quæ erant sumpta contrà te ; & apud Virgil. Æneid. 11. v. 348.....

Dicam equidem , licet arma mihi , mortemque minentur.

Et in Vatinium...,. *Deinde (erumpet enim aliquando ex me vera vox , & dicam sine cunctatione quod sentio) si jam violentior in aliqua re Cesar fuisset ,si* &c. Vide præterea Oratione pro Sylla N. 33. & pro domo suâ N. 99. & Philippicâ 10.

Adverte porrò, cùm objurgandi causâ licentiam adhibemus, mitigationibus deliniendam esse , petendam licentiæ veniam, amorem nostrum testificandum, aut fingendum à nobis invitis hanc provinciam suscipi ; sin minùs , Auditoris animus exacerbatur, & quasi illata contumelia excandescit.

Interrogatio fit , cùm sciscitando instamus, & urgemus. Cicero pro Plancio.... *Quid taces ? quid dissimulas ? quid tergiversaris ?* Et pro Roscio...... *Stipulatus es ? ubi ? quo die ? quo tempore ? quo præsente ? quis spopondisse me dicit ?* Et initio primæ Catilinariæ. *Quo usque tandem abutere , Catilina , patientiâ nostrâ ? quo usque &c.* Virgilius....

Et procul, O miseri, quæ tanta insania Cives?
Creditis avectos hostes? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? sic notus Ulysses?

Subjectio fit, cùm interrogationi subjicimus responsionem. Cicero pro Roscio Amer. N. 2. . . . . *Quid ergo? audacissimus ego ex omnibus? minimè: at tantò officiosior, quàm cæteri? ne istius quidem laudis ita sum cupidus, ut aliis eam præreptam velim.* Eâdem Oratione N. 54. . . . . *Exhæredare filium voluit: quam ob causam? nescio; exhæredavit - ne? non: quis prohibuit? cogitabat. Cui dixit? nemini.* Et pro Lege Manilia N. 61. . . . . *Quid enim tam novum, quàm adolescentulum privatum exercitum difficili Reipublicæ tempore conficere? confecit; huic præesse? præfuit. Rem optimè suo ductu gerere? gessit. Quid tam præter consuetudinem, quàm homini peradolescenti, cùm hujus ætas à Senatorio gradu longè abesset, imperium, atque Exercitum dari, Siciliam, atque Africam permitti, bellumque in ea administrandum? fuit in his Provinciis singulari innocentiâ, gravitate, virtute bellum in Africâ maximum confecit, victorem exercitnm deportavit. Quid verò tam inauditum, quàm Equitem Romanum triumphare? at eam quoque rem Populus Rom. non modò vidit, sed etiam omni studio videndam putavit*, &c. N. 62. Et de Haruspicum responsis N. 33. . . . . *Tu meam domum*

religiosam facere potuisti ? &c. Et pro Muræna N. 73.

Exclamatio fit, cùm affectus magnitudinem vocis contentione significamus. Cicero Catilinariâ primâ..... *O tempora ! O mores !* Pro Milone..... *O frustrà mei suscepti labores!* &c. in Peroratione. Philippicâ 2..... *O miserum me! consumptis enim lachrymis, tamen infixus pectori hæret dolor.* Et pro Cœlio N. 59..... *Proh Dii Immortales ! cur interdum in sceleribus hominum maximis, aut connivetis, aut præsentis fraudis pœnas in diem reservatis ?* Et in Pisonem, exclamat ironicè..... *O stultos Camillos, Curios ! O amentem Paulum ! rusticum Marium ! Nullius Consilii Patres istorum amborum Consulum qui triumpharint ?* Et in Oratione pro Sylla N. 91.... *O miserum! O infœlicem diem illum !* &c. Virgilius....

O Patria ! O Divûm Domus Ilium ! & inclyta bello
Pergama ! Et alio loco.....

Fortunate Senex ! ergo tua rura manebunt ?

Epiphonema, seu Acclamatio fit, cùm rei narratæ, aut probatæ sententia subjicitur. Cicero libro de Senectute.... *Quam ut adipiscantur, omnes optant, eamdem accusant adepti:*

tanta est stultitia, & perversitas! Et Paradoxo 6. . . . *O Dii Immortales! Non intelligunt homines quàm magnum vectigal sit parcimonia.* Et pro Quintio. . . . . *Jussit bona proscribi ejus, quîcum familiaritas fuerat, societas erat, affinitas, liberis illius vivis, à quo divelli nullo modo poterat: quâ ex re intelligi potuit, nullum esse tam sanctum, ac solemne officium, quod avaritia non comminuere, atque violare soleat.* Virg. Æneid. 3. v. 65. . . . .

Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?

Lucretius postquam narravit de Agamemnone filiam immolante, illud Epiphonema subjicit. . . . .

Tantùm Relligio potuit suadere malorum.

Atque hactenùs de Figuris; reliquum est ut moneamus ne frequentiùs Figuræ accumulentur: tùm enim non ornamenta, sed lenocinia videri Auditoribus incipiunt. Unde Quintilianus: *Ego*, inquit, *hæc lumina Orationis velut oculos Eloquentiæ existimo; sed neque oculos esse toto corpore velim, ne suum officium cætera membra deperdant.*

RATIO ELOCUTIONIS COMPENDIARIA,

SEV

DE TROPIS, ET FIGURIS.

De Metaphora.

DAT propriæ ſimilem tranſlata Metaphora vocem.

Cœptis aſpirant. Irarum fluctuat æſtu.

Læta ſeges. Geminant vites. Duo fulmina belli.

Ingenii flumen. Mens ferrea. Claſſis habenas.

Species Metaphoræ.

CONTINUARE Tropos Allegoria aſſolet. *Abſque*

Et Cerere , & Baccho Venus alget. Claudite rivos. . .

Species Allegoriæ.

EX fictis rebus designat Fabula veras.
Cervus Equum pugnâ melior communibus herbis
Pellebat: donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis, frænumque recepit.
Sed postquam victor violens decessit ab hoste,
Non hominem dorso, nec frænum depulit ore.
Ænigma obscuris tecta est sententia verbis;
Filiolas Cadmi profert Nilotis arundo,
Quas serit è Cnidio distillans Sepia nodo.
Æthiopem lateremque lavat, Parœmia dicta est.
Durior impropriæ est Catachresis abusio vocis.
Vir gregis. Ultorem promisi. Pulchra minatus.
Extenuans augens-ve excedit Hyperbole verum.
Astra ferit. Plumâ levior. Volat ocyor Euro.
Emphasis in verbo vis est. *Proh, Juppiter, ibit*

Hic, ait: & nostris illuserit advena regnis!

De Metonymia.

ATQUE Metonymia imponit nova nomina rebus.

Efficientis, ut inventoris. *Marte, Liæo.*

Authoris, *legitur Juvenalis, Livius ingens.*

Materiæ, *Pinus, Ferrum. Æris acervus. Arundo.*

Aut finis. *Noctem ludo custodia ducit.*

Aut instrumenti. *Gladius. Lingua. Arma. Manusque.*

Effecti. *Clades Libyæ. Mors frigida pallet.*

Subjecti. *Curii. Pateræ. Germania. Rostra.*

Adjuncti, *Fasces. Scelus. Ætas nulla libelli.*

De Synecdoche.

CONFUNDIT totum cum parte Synecdoche. Partis.

Mirthoum. Auster. Hiems. Mucro. Tectum. Annibal. Anglus.

Totius. *Orator. Color. Annus. Vixit Atrides.*

Contrâ quam sentit solet Ironia jocari.

Scilicet! egregiam laudem! Pulchrè. Bone custos.

De Figuris Verbi.

DICITUR Ellipsis, si ad sensum dictio desit.

Non est solvendo. Dicunt. Quid plura? Quid istis?

Dialyton tollit juncturam, & Asyndeton, idque

Articulus faciet. *Rex. Miles. Plebs negat illud.*

Frange thoros, pete vina, rosas cape tingere nardo.

Conjunctura frequens vocum Polysyndeton esto.

Fataque, fortunasque virûm, moresque, manusque.

Vocibus exuperat Pleonasmus, & Emphasis auget.

Auribus his audivi, oculis vidi. Ore locutus.

Verba Synonymia addit significantia eandem Rem.

Enses, & gladii. Superat-ne, & vivit. Amari

Me juvat, Antanaclaſis erit, *ſi nil ſit amari.*

Diverſis membris frontem dat Anaphora eamdem.

Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.

Complures clauſus concludit Epiſtrophe eodẽ

Dicto. *Crede mihi, ſi te quoque Pontus haberet,*

Te ſequerer, conjux, & me quoque Pontus haberet.

Symploce eas jungit complexa utramque Figuram.

Quàm benè, Caune, tuo poteram nurus eſſe parenti:

Quàm benè, Caune, meo poteras gener eſſe parenti.

Incipit, & voce exit Epanalepſis eadem.

Pauper amet cautè: timeat malè dicere pauper.

Eſt Anadiploſis, quoties ex fine prioris

Membri, principium fit dictio prima ſequentis.

Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo:

Gallo, cujus amor tantùm mihi creſcit in horas.

Prima velut mediis, mediis ita Epanodos ima

Conſona dat repetens. *Crudelis tu quoque mater,*

Crudelis mater magis, an puer improbus ille;
Improbus ille puer: crudelis tu quoque mater.
Ejuſdem fit Epizeuxis repetitio vocis.
Ah Coridon, Coridon. Me, me. Bella, horrida bella.
Continuâ ſerie eſt repetita gradatio, Climax.
Quodlibet, id licet his: & quod licet, id ſatis audent.
Quodque audent, faciunt: faciunt quodcumque moleſtum eſt.
Eſto Polyptoton, vario ſi dictio caſu
Conſonet. *Arma armis, pede pes, denſuſque viro vir.*
Voce parum mutata alludit ſignificato
Paronomaſia. *Tu Prædo, non Prætor habendus.*

De Figuris Sententiæ.

APOSIOPESIS ſenſa imperfecta relinquit.
Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus.
Non dico, Apophraſis; *Taceo, mitto*, eſt Paralypſis.
Rem circumloquitur per plura Periphraſis unam.

Trojani belli ſcriptor, Chironis alumnus.

Perſonam inducit Proſopopœia loquentem.

Hos-ne mihi fructus, hunc fertilitatis honorem,

Officiique refers? quod adunci vulnera aratri

Rastrorumque fero, totoque exerceor anno.

Sermonem à præſenti avertit Apoſtrophe. *Et auro*

Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,

Auri ſacra fames!

Conſultat cum aliis Anacenoſis. *Si ita haberet*

Se tua res, quid conſilii, aut rationis inires?

Ad ſummum ex imo gradibus venit Incrementum.

Non plebs prava jubens, ſolidâ nec mente Tyranni

Vis fera dimoveat juſtum, non turbidus Auſter,

Fulminei non dextra Jovis, non, ſi ruat orbis.

Propoſiti reddit cauſas Ætiologia.

Sperne voluptates: Nocet empta dolore voluptas.

Res loca, perſonas, affectus, tempora, geſta

Exprimit, atque oculis quasi subjicit Hypotyposis.

Consulit addubitans quid agat, dicat-ve Aporia.

Quid faciam? Roger, an-ne rogem? Quid deinde rogabo?

Est Epanorthosis positi correctio sensûs.

Ô clementia, seu potiùs patientia mira!

Planè haud dissimulans permittit Epistrophe factum.

Cedo equidem, neque te teneo, neque dicta refello.

I sequere Italiam ventis, pete regna per undas.

Anticipans quæ quis valet objecisse Prolepsis

Diluit. *Hic aliquis mihi dicat, cur ego amicum*

Offendam in nugis? hæ nugæ seria ducent.

In mala derisum semel, exceptum-ve sinistrè.

Librat in Antithetis contraria Enantiôsis.

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Opposita Antimetabole mutat dicta. *Poëma*

Est pictura loquens, mutum pictura poëma.

Quærit Elotesis poteras quod dicere rectè:

Et procul, ô miseri, quæ tanta insania Cives?

Creditis avectos hostes, aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaûm? Sic notus Ulysses?
Concitat Ecphonesis, & Exclamatio mentem.
Heu pietas! O spes falsas! Proh vana voluptas!
Narratæ subit & rei Epiphonema probatæ.
Tanta molis erat Romanam condere Gentem.

Finis tertiæ Partis.

QUARTA PARS RHETORICÆ.

DE MEMORIA.

SUPERFLUUM est multa de Memoria disserere: siquidem in eâ valet plus natura, quàm præcepta; neque ipsa illa Religio, quâ Tullius mihi colitur, adducere me unquam poterit, ut probem quæ ille de Memoria, de ejus utilitate, usu, & exercitatione præcepta conscripsit, subtilia certè magis, quàm utilia, nihilominùs ne quid Rhetoricæ nostræ deesse videatur, libet in hanc partem nonnulla ex Quintiliano mutuari.

CAPUT UNICUM.

De Usu Memoriæ.

INGENII signum, præcipuè in pueris, Memoria; quæ in hac tenera ætate tenacissima est.

Ejus virtus duplex : facilè percipere, & fideliter continere. Hæc, ſicut alia, excolendo augetur, & totus Oratoris labor inanis eſt, niſi cæteræ partes hoc velut ſpiritu continentur. Nam fruſtrà docemur, ſi quidquid audimus præterfluat. Ideòque non immeritò theſaurus hic Eloquentiæ dicitur. Illa quoque facit prompti ingenii famam, ut illa, quæ dicimus, non domo attuliſſe, ſed ibi protinùs ſumſiſſe videamur. Quod & Oratori, & ipſi cauſæ plurimum confert : nam & magis miratur Judex, & minùs timet, quæ non putat adversùs ſe præparata ; una, & maxima eſt ars Memoriæ, exercitatio, & labor ; multa ediſcere, multa cogitare, idque quotidie, eſt potentiſſimum. Nihil æquè vel augetur cura, vel negligentia intercidit. Quare pueri ſtatim quamplurima ediſcant, & devorent initio tædium illud, & ſcripta, & lecta ſæpius revolvendi, & quaſi eumdem cibum remandendi.

Erit etiam optimum ediſcere quo exercearis, & ediſcere quàm maximè varia, quæ & clamorem, & diſputationem, & flexus habeant, ut ſimul in omnia præparemur, neque non juvabit iiſdem, quibus ſcripſeris, libris ediſcere. Nam qui diſcit, ſequitur veſtigiis quibuſdam Memoriam, & velut oculis intuetur, non paginas modò, ſed verſus propè ipſos ſimiles legenti.

Eſt alia ratio expeditior, & potentior, ediſ-

cere tacitè, voce modicâ, & magis cum murmure. Cui memoria naturâ durior erit, aut cui tempus non ſuffragabitur, non difficile modò, ſed etiam inutile erit, ad omnia ſe verba alligare, cùm oblivio unius eorum cujuſlibet aut deformem hæſitationem, aut etiam ſilentium inducat, tutiúſque multò comprehenſis animo rebus ipſis libertatem eloquendi ſibi relinquere. Nam & invitus perdit quiſque id quod elegerat verbum, nec facilè reponit aliud, dum id, quod ſcripſerat, quærit.

Finis quartæ Partis.

QUINTA PARS RHETORICÆ.

DE PRONUNCIATIONE.

NON tam refert qualia ſint quæ intrà nos composuimus, quàm quomodo efferantur. Nam ita movetur quiſque, ut audit; & affectus omnes langueſcant neceſſe eſt, niſi voce, vultu, & totius propè habitu corporis inardeſcant. Si enim lentus & ſupinus videaris, non movebitur Auditor probationibus, & affectibus. Nonne Actoris ars, & peritia optimis Poëtarum operibus tantùm gratiæ adjiciunt, ut nos infinitè magis eadem illa audita, quàm lecta delectent. Imò viliſſimis etiam quibuſdam impetrant aures: ut quibus nullus eſt in Bibliothecis locus, ſit frequentiſſimus in theatris;

nec immeritò: nam carent libri ſpiritu illo, propter quem majora illa cùm aguntur, quàm cùm leguntur, videri ſolent. Hinc Valerius Maximus ait in Demoſthene magnam partem Demoſthenis abeſſe, quia legitur potiùs quàm auditur. Excitat qui dicit, ſpiritu ipſo: nec imagine, & ambitu rerum, ſed ipſis rebus incendit. Vivunt enim omnia, & moventur in eo, cujus actio decora, & vehemens eſt: & quæ dicit, velut naſcentia cum favore ac ſollicitudine excipiuntur. Quod ſi in Tragœdiis, quas fictas, & inanes eſſe ſcimus, tantùm pronunciatio poteſt, ut iram, lachrymas, ſollicitudinem, audientibus afferat; quantò plus valeat neceſſe eſt, ubi & credimus.

CAPUT UNICUM.

De Partibus Pronunciationis.

PRONUNCIATIO duas habet Partes: vocem, quæ aures movet; & geſtum, ſeu actionem, quæ oculos ferit. Hæc ſunt duo quaſi tela, quæ vim totam Orationis in audientium animos deferunt, defiguntque.

SECTIO I.

De Voce.

VOCIS mutationes totidem ſunt, quot animorum, qui maximè commoventur. Itaque Orator, ut quemque affectum viderit, & animum audientis movere volet, ita certum vocis admovebit ſonum. Nam & infantes actionis dignitate Eloquentiæ ſæpè fructum tulerunt: & diſerti deformitate agendi multi infantes putati ſunt. Sit ipſa vox primùm ſana: deinde non ſubſurda, rudis, immanis, dura, rigida, vana, præpinguis, aut tenuis, inanis, acerba, puſilla, mollis, effeminata: ſpiritus nec brevis, nec parùm durabilis, nec in receptu difficilis.

Pronunciatio ſit dilucida, ornata; neque gravior, neque denſior, ſed media: ſit æquabilis, & tamen varia; adeòque ſummo ſtudio vitanda eſt una illa quædam vocis intenſio, quæ Monotonia dicitur. Illa enim Orationis nervos omnes elidit, vires obruit, pulchritudinem corrumpit: ſic offendit audientem, ut illam ſine faſtidio, ac moroſitate ferre non poſſit.

Neque interim minùs vitanda eſt contraria huic Monotoniæ ſcenica illa modulatio, quid

enim à movendis affectibus magis alienum, quàm illa in dicendo cantatio.

Vox ultrà vires urgenda non est, nec nimiâ volubilitate confundenda: nam & distinctio perit, & nonnumquam verba aliquâ sui parte fraudantur. Cui contrarium est lentiùs vocem trahere; nam difficultatem inveniendi fatetur, & tarditate solvit animos. Promptum sit, & non præceps, moderatum, non lentum. Spiritus quoque, nec crebrò recipiatur, nec eò usque ducatur, donec deficiat. Multa sunt alia Pronunciationis vitia, quæ attentè consideranti, experientique facile erit deprehendere.

Varia est Pronunciatio pro variis partibus orationis, & variis affectibus. Initio non protinùs erumpendum est, sed danda brevis cogitationi mora. Mirè enim auditurum dicturi cura, & quædam quasi verecundia delectat.

Sit igitur in exordio pronunciatio lenis, verecunda, temperata: nisi cùm concitandus est Judex, aut aliquâ indignatione complendus. In narratione recta, sermoni proxima, aperta, simplex, expressa, plena. In probatione, & argumentatione agilior, acrior, instantior. In digressionibus remissa, fusa, & securæ cujusdam claritatis. In epilogo modò dejecta, & fracta, modò vehemens, excitata, pro naturâ, & modo affectuum movendorum. Nam cæteris in rebus plena erit,

ſimplex, & ipſa quodammodo hilaris. Atrox in irâ, & aſpera, & denſa, & reſpiratione crebra. In invidiâ faciendâ paululùm lentior; in blandiendo, fatendo, ſatisfaciendo, rogando, lenis, & demiſſa. Suadentium, monentium, & pollicentium, & conſolantium gravis, & plena: in metu, & verecundia hæſitans, demiſſa, contracta: in adhortationibus fortis, aliquando etiam vehemens: in diſputationibus æquabilis. In omni violentia ſit contenta, vehemens, imminens quâdam incitatione gravitatis. In miſeratione flexa, flebilis, interrupta, & conſulto quaſi obſcurior. In moleſtia gravis, & uno preſſu, ac ſono ſubducta. Denique attollitur concitatis affectibus, compoſitis deſcendit, pro utriuſque modo, altiùs, vel inferiùs.

In Actionibus inter præcipua ſervandum eſt, ut quædam Pronunciatione diſſimulentur, ut etſi benè vincta, compoſitaque, ſoluta videantur; & cogitantibus nonnumquam & dubitantibus ſimiles, quærere videamur, quæ attulimus. Sic enim videbitur extemporalis Oratio.

SECTIO II.

De Actione.

EST Actio ſermo quidam, & quaſi Eloquentia corporis, ipſis etiam verbis aliquantò potentior. Nam verba non movent niſi eos, qui ejſudem linguæ ſunt. Actio verò præ ſe fert quoſcumque animi motus, & omnes movet. In actione dominantur vultus, oculi, lachrymæ, palpebræ, genæ, ſupercilia, nares, labra, cervix, collum, mentum, humeri, bracchia, manuum geſtus. De quibus ſingulis conſulendus eſt Fabius libr. 10. capite 2. de his enim infinitum, moroſumque ſit ſigillatim præcipere.

Hoc universè obſervandum eſt, Actionem ab Oratione diſſentire non oportere, ut ſi triſtia hilariter dicamus; alioquin authoritas, & fides verbis deſit; impudens, tumultuoſa, iracunda actio omnibus indecora videtur. Sed ut quiſque ætate, dignitate, uſu præcedit, magis in ea reprehendendus.

Non omnis geſtus, ac motus, qui Comœdum; idem & Oratorem decet. Multùm uterque diſcrepat: quare ab Oratore rejicimus actionem vultuoſam, & geſticulationibus moleſtam, & vocis mutationibus reſultan-

tem. Erit tamen aliquando etiam agitatior: ſed ita temperanda, ne, dum Actoris captamus elegantiam, viri boni & gravis auctoritatem perdamus. Sit ergo geſtus, non verba exprimens, ſed univerſam rem, & ſententiam non demonſtratione, ſed modicâ ſignificatione declarans: ſit fortis, & virilis laterum inflexio, ſit manus arguta, id eſt minùs citata, & mobilis, digitis ſubſequens verba, non exprimens. Brachium proceriùs, longiùs in contentione à corpore projiciatur, ut ſit quoddam quaſi telum orationis, quod vi, & impetu torqueatur.

Præceptum in hac re longè optimum eſt, quotidie, vel ſaltem frequenter dicere, ſeligere optimum quemque Oratorem, quem audias, quem obſerves, quem imiteris. Hoc modo non vox tantùm confirmabitur, & latus, ſed etiam corporis decens, & accommodatus Orationi motus componitur. Nam, ut initio diximus, in arte dicendi, ſicut in cæteris artibus plus valent experimenta, quàm præcepta.

Atque hæ ſunt Præceptiones Oratoriæ, quas, pleraſque ex Ariſtotele, Fabio, Tullio collegimus. Agite ergo Eloquentiæ Candidati: ipſam orandi majeſtatem, quâ nihil Deus Immortalis melius homini dedit, & quâ remotâ muta ſunt omnia, & luce præſenti & memoriâ poſteritatis carent, toto ani-

mo petite, & semper ad optima connitamini, quod facientes, aut evadetis in summum, aut certè multos infrà vos videbitis.

BIBLIOTHEQUE ROIALE

Finis quintæ, & ultimæ Partis.

1421-14-9

[illegible]

B